BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 F
25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-20.C.12

54. e 45.

43

54. e 45.

WILLEBRORDI SNELLI
A ROYEN, R. F.

DOCTRINÆ

TRIANGVLORVM

CANONICÆ

LIBRI QVATVOR,

Quibus CANONIS *ſinuum, Tangentium, & ſecantium conſtructio,*

TRIANGVLORVM tam PLANORVM quam SPHÆRICORVM expedita dimenſio,

breviter ac perſpicuè traditur:

Poſt mortem Autoris in lucem editi à MARTINO HORTENSIO Delfenſi;

Qui iſtis Problematum Geodæticorum & Sphæricorum tractatus ſingulos adjunxit, quibus præcipuarum utriuſque Trigonometriæ propoſitionum uſus declaratur.

Bib: Sec: Coll: Rom. Soc: J.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex officinâ IOANNIS MAIRE.
cIↄ Iↄ c XXVII.

Illuſtriſsimis Potentiſsimis

DD. ORDINIBVS
HOLLANDIÆ & WEST-FRISIÆ.

Ampliſſimis Prudentiſsimiſque

DD. PRÆTORIBVS, CONSVLIBVS, SYNDICIS inclitarum Rerumpublicarum

DORDRACENÆ, DELFENSIS, ALCMARIANÆ,

Studiorum Mathematicorum patronis ſummis.

Illuſtriſsimi, Potentiſsimi, Prudentiſsimi Domini

INTER omnes Mathematicæ ſcientiæ partes, quæ variæ ſanè ſunt ac vaſtæ, nulla æquè jus primum & prærogativam tenet ac Geometria: & huius quidem membra cum duo ſint, Dimenſio ſcilicet Planorum & Solidorum, utraque comprehendit ac menſuræ certæ ſubiicit, quicquid ullibi in toto Mundo corporeum ac ſenſibus expoſitum: ſive enim Cœlum ſcandimus & æternas nobiliſsimorum corporum periodos, vagas atque in multiplici errore conſtantes tamen motuum leges mente percurrimus: ſive Terram domicilium noſtrum, & in eâ omnium rerum pulcherrimum ſtatum ac ordinem intuemur, ubique illud divini Plato-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nis divinum ἀκρόαμα; τὸν θεὸν πάντων μάλιςα γεωμετρεῖν in totâ rerum naturâ luculenter deprehendimus. Nec tam Geometria reliquas partes nobilitate antecellit, quin etiam in ſingulis eluceat adeò oportunus illius uſus, ut ſine eâ conſiſtere nequeant; & ut ex ungue leonem, unica *Triangulorum doctrina* quibus non modis iiſdem ancillatur? hæc mihi Aſtronomiam, Geographiam, Geodæſiam, Architectonicam militarem, Opticam, non tantum ut baſis ac fundamentum ſuſtinet, verum etiam planè perficit àc conſummat; Aſtronomiæ quidem una pars quæ *doctrina primi mobilis* vulgò dicitur, nonne tota pendet à calculo tripleurorum ſphæricorum? quibus vera aſtrorum loca, commodis inſtructi organis inquirimus, eorumque ortus, occaſus, arcus diurnos, nocturnos, aſcenſiones & deſcenſiones, omni loco & tempore ob oculos ponimus? altera verò quæ *doctrinæ theoricæ* nomine venit, & circà Planetarum verſatur motus, nunquid beneficio Triangulorum planorum conſtituitur? ſagax enim humana mens, cum nullo modo tantam motuum varietatem comprehendere poſsit, nedum in futurum prædicere; auxiliares ab hac noſtrâ Trigonometriâ petens copias, eouſque cœleſtem illam arcem oppugnat, ut ſuppoſitis quibuſdam hypotheſibus eam tantum non expugnet, verum etiam ita ſibi ſubiiciat, ut ejus meatus & anfractus varios, omnemque ſupellectilem inſpiciat, & in

omne

omne ſeculum poſteritati annumerare ſciat quid in ea quovis tempore futurum ſit, quæ ſtationes, regreſsiones, ſyzygiæ, quis corporum ſitus ac motus, quæve præcipuarum partium σχήματα καὶ διαστήματα, auſa hoc pacto tentare *rem* ut ait Plinius, *etiam Deo improbam*.

Nec minus Geographiæ principia ſua noſtra doctrina ſuppeditat; hæc enim rationem Æquatoris ad Parallelos, Climatum latitudines & incrementa, umbrarum rationes, locorum quorumcunque diſtantias, terrarum deſcriptiones, accuratè tradit; hæc Nauticam Geographiæ animam per ſe infirmam ſuſtentat, dum Loxodromiarum affectiones & intricatas rationes planas facit, naviumque quibus tot quotidiè divitiæ tam vaſto Oceano committuntur, directiones ſecurè adminiſtrare edocet.

In Geodæſiâ verò, qualecunque tandem agrorum dimetiendorum munus incumbit, id omne Trigonometria planorum, adminiculo Tabularum Canonicarum facillimè expedit: Tabulæ Chorographicæ delineandæ ſunt? hæc diſtantias locorum ſuppeditat; turrium, montium, ædificiorum altitudo requiritur? ad Triangulum itur; hi gradus, hæ ſcalæ, quibus rem alioqui per ſe inacceſſam conſcendimus: antiquiſsimum illud Radij inſtrumentum, quo facillimo calculo Geometræ terras, maria, flumina, Cælique meatus deſcribunt, nonne meris triangulis rectangulis

conſtat? ut vel hinc jure meritò dicatur *Triangulum Rectangulum Magiſter eſt Matheſeos*: miraculo fuit Thales Mileſius quod altitudinem Pyramidum Ægyptiarum per umbram deprehenderit, obſervato tempore quando umbræ corporibus pares ſunt; at nunc eadem praxis facta eſt expeditior, ut quamvis nubilo cœlo, tamen hoc vel alio inſtrumento exerceri poſsit per ſimilitudinem angulorum & laterum proportionem.

Quid in re Militari? an non Caſtrorum metationes, Tormentorum directiones, Munitiones urbium & oppugnationes hac Triangulorum planorum Mechanice abſolvuntur? certe nullus hodie Architectus tam temerarius, qui caſtra militiamque ſequatur, & non modico ſaltem tabularum Canonicarum inſtructus ſit uſu; quanquam non ignorem reperiri quoſdam qui non hanc ſolum partem, verùm etiam intima Geometriæ adyta penetrarunt, adeo neceſſariam rebus ſuis eam iudicantes.

Denique nobiliſsima Opticæ ſcientia, quæ circà Viſum, Lucem, Umbram, & Colores verſatur, planè nulla eſt ſine hac Doctrinâ; hæc enim quantitatem reflexionum ac refractionum Lucis in ſpeculis & corporibus pellucidis metitur, diverſitatem umbræ imaginiſve rei explicat, & mirabiles illas ſpecierum apparentias in politis ſuperficiebus corporum, aut tollere docet aut efficere; hæc mortalium

animos

animos ſubducit in cœlum, & beneficio umbrarum Telluris & Lunæ, trium maximarum rerum naturæ partium magnitudinem, umbræque ipſius extenſionem in longum & latum detegit.

Cum ergo tanta ſit huius doctrinæ utilitas *Illuſtriſſimi Ordines, Prudentiſſimi Conſules*, quid mirum ſi indè ab ultimâ antiquitate præſtantiſſimi Mathematici eam adeò ſedulò excoluerint, ſemperque ei nova acceſſio facta ſit? multa equidem ac præclara inventa Hipparchi, Menelai, Ptolemæi, ſummorum virorum, ſed quibus inde à reſtauratione harum diſciplinarum, Recentiorum indefeſſum ſtudium ac improbus labor longè utiliſſima ac facillima adiecit: poſtquam enim in poſſeſsionem artis venere Germani, primus Ioh. Regiomontanus ignei vir ingenii, univerſalem Trigonometriam in unum corpus redegit, facilitatem calculi abacis induxit, omnem diviſionis moleſtiam ubicunque ſinus totus eſt primo loco declinans: poſt hunc Georg. Ioachimus Rheticus in vaſto illo opere Palatino ſummam manum eidem impoſuiſſe videri poterat, conditis tabulis ad ſinum totum decem circulorum, & ad dena ſcrupula ſecunda; ſed quid poſt eum Clavius, Finckius, Pitiſcus, aliique præſtiterint, facile iudicare poſſunt ii qui operibus eorum legendis ſeriam adhibuerunt operam. Itali verò neminem ſuo Maurolyco Maginoque præferent, ſicut nec Galli ma-

gno ſuo Vietæ: ſubtilia ſunt eorum inventa & commodus uſus: ſed quid de Belgis? impius ſim in patriam ſi non & horum induſtriæ meminero: Ingenioſiſſimus Adrianus Romanus fundamenta tabularum Canonicarum ſolida iecit, erutis & vaſtiſsimis numeris expreſsis Polygonorum anteà incognitorum lateribus: Reverendus Philippus Lanſbergius Trigonometriam Ptolemæi, Regiomontani, Copernici, methodicè contrahendo, pluraque è ſuis adjiciendo, inſigne meruit apud omnes candidos eruditionis præconium; mitto nunc viros præſtantiſsimos S. Stevinum, A. Metium, N. Mulerium, quos omnes idem tetigit propagandæ huius doctrinæ deſiderium: Verum-enimverò inter tot tantoſque ejus inſtauratores, haud quaquam Spartæ ſuæ quam ornandam acceperat, defuit vir Clariſſimus D. WILLEBRORDUS SNELLIUS: ipſe enim annis abhinc aliquot totam Trigonometriam à fonte arceſſere, noviſque & rariſsimis inventis illuſtrare cœpit, jamque opus digeſſerat & prælo deſtinarat, cum ecce Deus omnipotens charum caput, decus patriæ noſtræ, è medio annorũ curriculo ad beatas ſedes transfert: quanto ea res omnes eius notos ac familiares dolore affecerit, *Illuſtriſsimi, Prudentiſsimi Domini* non eſt quod multis narrem; illud teſtor, iniquiſsimam nobis & hiſce ſtudiis fuiſſe ſortem: opus namque confuſum, imperfectum, ac magnâ ex parte mutilum reliquit,

& fuit

& fuit metus nunquam id lucem viſurum, niſi ſedula Typographi obſtitiſſet cura, cuius petitioni refragari, ſimul & Viro optimè quondam de me merito officium hoc qualecunque negare, inhumanum ducebam atque ingratum; ſubij itaque lubens hoc onus, & in ordinem redactis ſingulis partibus, additis etiam nonnullis quæ deſiderari videbantur, fœtum iſtum præcocem nedum perfectum in publicum emiſi, futurum ſperans, ut omnes illi, quibus Autor ipſe plenius ſatiſfacere potuiſſet, nunc quoque libenter hunc rudiori manu perpolitum, excuſatum habituri ſint, nec duriori judicii rigore proſecuturi, maioremve perfectionem deſideraturi, quam res tempuſque ferre potuiſſe ipſis videbuntur.

Vobis autem *Illuſtriſſimi Ordines*, eum offerre non erubui, vobis inquam, quibus ad clavum tantæ Reipublicæ ſedentibus, cuius opes, maximumq; decus hiſce ſtudiis conſervantur, tantus eſt ergà ea affectus, ut indè ab annis benè multis ultrò propoſitis præmiis ad earum cultum quoſcunque patriæ ſuæ amantes provocare ſoleatis: confidens fore, ut quam benevolentiam vivo quondam Autori non ſemel exhibuiſtis, eâdem nunc monumenta ejus quorum fructus meritò ad vos redit, proſequamini.

Vobis etiam *Viri Ampliſsimi D. Conſules*, vel eâ de cauſâ quod confidam eam veſtram fore humanitatem, ut quas aliquando diſciplinas Urbibus veſtris ſplendorem addidiſſe noſtis, eas nunc in clientelam veſtram benigniſsimè recipere non dedignemini.

Illuſtriſsimæ Potentiſsimæ Magnitudini

Conſultiſſimæ Amplitudini veſtræ

Subjectiſsimus

MARTINUS HORTENSIUS D.B.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

ANNVS nunc eſt & quod excurrit, ex quo Clariſſimus D. SNELLIVS ὁ μακαρίτης librum hunc prælo committere cœpit; cumque partim per occupationes Typographorum, partim diuturnum ipſius morbum, res lentè admodum procederet, factum ut illo præmaturâ morte terris erepto, nihil præter Canonem Triangulorum typis excuſum manſerit: ibi tum nos continuo deſperare de editione libri, imò de plenariâ eius abſolutione ambigere, D. IOH. MAIRE angi animo ne opera & impenſa periiſſe poſſet: Invento tandem autographo, longo poſt tempore neſcio quo fato poteſtatem videndi mihi facit, ſimul operam flagitat in re tam neceſſaria. Quid facerem? tenuitatis meæ eram conſcius, ſcripta perplexa, confuſa, mutila; videbam Atlanti Hercule opus eſſe ad ſuſtinendum hoc cœlum; tempus longum laboreſque inſuaves exhauriendos; ſumpſi tamen animum, & cum officium hoc humaniſſimo viro negare non poſſem, rem aggreſſus editionis curam in me recepi. Vix pedem in veſtibulo poſueram, cum perluſtratis ſcriptis non pauca deeſſe viderem ac depravata, quibus medicam quà potui manum adhibendo, tantum effeci, ut integer ſaltem (etſi non eo fortè nitore quo ab ipſo Autore erat induendus) prodiret liber: ſtatueram quidem initio, ea quæ adjeceram uncis huiuſmodi [ ] includere, ſed cum jam bona pars libri primi impreſſa eſſet, & Typographus iis omiſſis ſimilem omnibus ſuis membris feciſſet textum, ego quoque poſteà nihil mutandum ratus, ſperavi lectorem Mathematicum id facilè ex diverſitate ſtyli animadverſurum. Quod ad calculum attinet, is planè de novo reiterandus mihi fuit ingenti moleſtiâ, nec tamen eum omninò ἀψευδῆ ſpoponderim, tu amice Lector imitare, & ſi quicquam peccatum emenda: uſus enim ſum tabulis quas hic habes, quibus ut id te

obiter

obiter moneam, cave ne nimium confidas, cum editæ ſint vivo etiamnū Autore, cui tantum otij non fuit ut eas relegere, nedum omnia vitia emendare potuerit: ſubieci quoque utrique Trigonometriæ Problematum ſingulos tractatus, idque in tuum potiſſimum commodum; & quàm vellem id ab ipſo Autore præſtitum! habuit ſcio ſingularia, tum in hiſce tum in alijs quorum ipſe mentionem propoſ. 7 Appendicis facit; ſed ea omnia præceps eius Fatum nobis abſtulit; id culpa ſi in opere hoc quicquam deprehenderis quod exacti eius judicij limam paſſum non fuit, aut etiam animi noſtri propenſionem, quâ omnibus difficultatibus ſuperatis, huc uſque rem perduximus: ſcio non defuturos, qui hæc in faſtum & arrogantiam dicta interpretabuntur, uti hodie calumnijs potius quam favore agitur, ſed eos nihil moror: modò aliqua de Mathematicis benè merendi conceditur occaſio, officio meo haud-quaquam deero; ſed quid ajo? invidiæne deprecatio mihi ſperanda, quæ ne maximis quidem Viris conceſſa fuit?

Quiſquis es ex illo Zoïle nomen habes:

Tu modò benigne Lector conatibus noſtris fave, & hæc uſui ſtudijſque tuis Mathematicis dicata habeto, ac nos quod planè confidimus conſtanter amando Vale.

Ad

Ad Ornatiſſimum, Doctiſſimum Iuvenem; jucundiſſimum, optimum Amicum;

MARTINVM HORTENSIVM.

DAmnoſa flebam funera SNELLII;
Conqueſtus in Parcam illachrymabilem,
Quod ſæva Muſarum perenne
Surriperet columen mearum;
Et quod; recludens immerito mori
Fatale buſtum; tam ſapiens caput,
Quodque Archimedes ipſe adoret;
Ad gelidas traheret catervas.
MARTINE flebam: tu quoque lugubres
Fletus ciebas: at ſua SNELLIVS
Poſt fata vivet, cùm ſuperſtes
Poſthumus hic merito libellus
Tuo politus, carior Indico
Auro, refulget marmore puriùs.
Sic arte Muſam SNELLIANAM
Ad proprios acuis labores:
Sic Ptolemæi te vigor ingenj
Oblectat: & ſic ſpiritus igneus
Euclidis. ô MARTINE pergas,
Nec titulos fugias futuros.

Scribebat

HVGO BOXEL,

L. A. M.

IN

IN TRIGONOMETRIAM

Clariſsimi Viri

D. WILLEBRORDI SNELLII,

poſt mortem ejus in lucem editam.

Perdius & pernox manibus dum Circinus errat,
Et vaſtum Radio metitur SNELLIVS *orbem,*
Arte Syracuſio Sene non minor, altiùs omnes
Scrutatur terraque ſinus, ductuſque ſecantes,
Et labyrintheo contortos more receſſus.
Mox numeros & verba docet, quadrata rotundis,
Quove modo poſsis mutare rotunda recurvis.
Nil dubij jam Conus habet, tereteſque Cylindri,
Nil qui, *ſeſe inter nubila condit*
Pyramis, & Gnomon meliori limite ſignat.
Nec ſatis hæc tentaſſe Viro; mens præpete pennâ
Aſtra ſuper, primas repetens ab origine ſedes,
Evehitur viſura Deos, viſura Penates
Divûm, atque æterno labentia ſydera motu.
Hic dum Semideis multùm miſcetur, & ortus
Stellarumque obitus, & quæ natura negavit
Viſibus humanis, attentius uſque revolvit,
Non ſaturata tamen totum percurrit Olympum,
Extra Anni Soliſque vias, faciliſque jugales
Phœbus, & auratos axes curruſque miniſtrans,
Ut ſolet, admiſſas manibus moderatur habenas.
Interea Terras ſummo proſpectat Olympo,
Cunctaque vel ſolo cernit concurrere puncto
SNELLIVS, *& vanâ deluſus imagine rerum,*
Spernit humum, & quicquid terrarum amplexibus hæret
Ridet, & inſani nimium ludibria Vulgi;
Cœleſtique locum deſignat Iupiter arce
Pro meritis operum, ſpatioque Triangulus amplo

Accipit

Accipit, indigetemque locat, quâ clarior ignis
Emicat, & trinos vocat in certamina ſolus.
Iamque Aries cornu, rutiloque notabilis igne,
Flectit iter, limis Taurumque aſpectat ocellis:
Caſsiopæa ſui capitis Diademate cingit,
Submittitque ultrò faſces, ac cedit honore
Magnus Abantiades, & diræ Gorgonis ora
Mitiùs avertit, pedibus dum vincula nectit.
Primus ibi è multis magnâ comitante catervâ
Amplexus ruit in medios, dextrâque ſalutat,
Et Batavum tanto dignatur Aratus honore,
Alphonſuſque, caput cinctus Diademate, greſſus
Dirigit, & ſolio Cimbrorum gloria Tycho
Collocat, agnoſcens vultum venientis & ora.
Pone tamen luctus tanto viduata Magiſtro
Patria, nec ceſſent volitare apluſtria Tiphy,
Alter Tiphys adeſt Batavam qui diriget Argon.
Iamque, animæ pars magna meæ, ſuccedit Atlanti
Amphitryoniades magnis HORTENSIVS *auſis,*
Atque laborantem Veſtam, cœlumque ruinam
Cum ſonitu minitans, ſuppoſto vertice fulcit.
Vivant fælices tali rectore Batavi,
Vivant, & DELPHI *tanto lætentur alumno.*
At vos fælices animæ, quas vivida virtus
Extulit, & patrio pietas aſſcripſit Olympo,
Gnoſiaca Heroi ſervetis ſerta Coronæ.

Ludebat

IOH. CORNELI Wourdanus.

WILLEM

Willebrordi Snelli a Royen, R. F. Doctrinæ Triangvlorvm Canonicæ,

Liber Primvs.

De inventione rectarum Circulo adſcriptarum.

I. Propositio.

Adſcriptarum doctrina Canonica eſt, quando è peripheriis adſcriptæ earundem relativæ; & viciſſim ex adſcriptis peripheriæ per numeros inveniuntur.

GEometria, ſive στοιχείωσις, quatenus omnia per circinum & regulam perficiunda ſibi proponit, & demonſtrat, ita ſimilium omnium Triangulorum affectiones ſibi explicandas ſumit. Atqui cum omnium angulorum ratio inter ſe, & comparatio, Geometricè & Apodicticè definitè ſecundum datam menſuram explicari nequeat, Magni Heroës iſti, & inter veteres nominis celebritate facile primi, haud difficulter notaverunt quid peripheriæ beneficio & comparatione rectæ inſcriptæ præſtari poſſit. Itaque jam tum, ante annos biſmille, & quod excurrit

viri ſummi, & inter eos princeps Hipparchus eam iniverunt rationem, ut poſita ſemidiametro, particularum quotcumque, inſcriptarum quarumcumque quantitas ſecundum hanc definiretur. Nam ita etiam hodie radium circuli in particulas 100000, 1000000, 10000000, aut 10000000000, tribuimus, & ſecundum has, adſcriptas ſuarum peripheriarum relativas exhibemus per ſingula ſcrupula. Neque enim ignotum eſſe cuiquam poteſt, qui vel à primo duntaxat limine Geometriam deguſtaverit, omnem circuli perimetrum in partes 360, quas gradus vocant tributam; ut ſemicirculo cedant gradus 180; quadranti autem 90. Ad has igitur peripherias, per ſuos gradus & minuta ſive ſcrupula ſingula, tanquam minimas particulas quæ in uſu requiruntur, rectę adſcriptæ ipſarum relativæ referuntur. Et hæc quidem Ptolomæo vocatur ἡ τῶν ἐν τῷ κύκλῳ εὐθειῶν πραγματεία. Quam poſteri, & maxime hoc ſeculo viri docti luculentis acceſſionibus adauxerunt.

Adſcriptas autem non ita ſtricta notione intelligo, ut Geometræ ſolent; quibus ſolæ circulo inſcriptæ, vel tangentes hoc nomine veniunt; ſed etiam rectas è centro eductas & peripheriam ſecantes; quemadmodum iſta ſuis locis ſigillatim explicabuntur. Harum rectarum uſum aliquem in ſua circuli dimenſione Archimedes expreſſit; quod conſilium Ptolomæus quoque libro ſexto magni operis eſt ſecutus. Sed ejuſdem longe ampliſſimus campus per univerſam Matheſin ſe diffundit, cum in Triangulis planis, aut tripleuris ſphæricis, ex datis tribus terminis reliqui tres inveniuntur: atque ideò etiam ab uſu potiſſimo *Doctrina Triangulorum Canonica* appellatur.

Porrò autem cum anguli in centro ſint ut peripheriæ


riæ in quas inſiſtunt, inde factum ut ipſæ peripheriæ pro angulorum menſura aſſumantur. Vt rectum 90. gradibus; acutum paucioribus; obtuſum pluribus definitum intelligamus. atque ita etiam ipſæ adſcriptæ, non tantum ad ſuas peripherias, verum ad angulos quoque qui in iſtas peripherias inſiſtunt pariter referantur. Cum, ut diximus anguli menſura ſit peripheria, ex ejus vertice, tanquam centro deſcripta.

In peripherijs porrò hic & data, & eius complementum ſæpè in partes vocantur. Nam quod idem de angulis dictum intelligatur. *Complementum eſt datæ peripheriæ à quadrante, differentia.*

Sive peripheria data maior, ſive quadrante ſit minor; ſed ut angulus omnis duobus rectis eſt minor, ita data peripheria quoque ſemicirculo ſemper minor intelligatur. ut ſi in diagrammate ſequenti *eo* aſſumatur ut data, ejus complementum erit *or*. Et ſi *iro* peripheria major aſſumatur, nihilo minus erit eadem *or* ejus complementum. Idem in angulis locum habet, ut, anguli acuti complementum ſit ejus à recto defectus: obtuſi, ejuſdem ſupra rectum exceſſus, quæ utique negligenda non ſunt.

II. PROPOSITIO.

Rectæ peripheriarum ſuarum relativæ ſunt ſinus, tangens & ſecans.



VT hic in propoſito diagrammate ſit *a* centrum circuli, peripheria *oe*, radius *ae*, perpendicularis à termino *o* in radium *ae* ſit *ou*, extremæ diametro perpendicularis *es*, & radius per *o*

 terminum

terminum eductus *as*. hic *bu* ſinus eſt peripheriæ *oe*; *es* tangens ejuſdem; & *as* ſecans. In Geometria quidem tangens & ſecans infinitè dicuntur, neque ulla certa & definita menſura concipiuntur; hic autem propoſitis peripherijs aſtringuntur, & magnitudinem habent ſecundum illas definitam. ea igitur amphibolia tollenda, & ſuarum peripheriarum modulo erat circumſcribenda.

III. PROPOSITIO.

Sinus rectus eſt recta ab altero peripheriæ termino, diametro per reliquum eductæ perpendicularis.

SINVS nomen hac quidem notione à Latina lingua eſt alienum. Et Barbaro illo ſeculo uſurpari cœptum, cum ab Arabibus etiam Græcos ſcriptores mutuarentur, Arabes enim ut videtur primi pro inſcriptis veteri Græciæ uſitatis, earum ſemiſſes ſumma cum utilitate adhibuerunt. atque ita à Gebro vertente Gerardo Cremonenſi definitur Sinus arcus, medietas chordæ peripheriæ duplæ. ut hoc nomen à Cremonenſi primum in ſcholas ſit illatum, aut cum jam ante receptum eſſet, ab eo uſurpatum. niſi forte ab Appiano ſit ſubſtitutum, certè Plato Tiburtinus multo Cremonenſi recentior, quique Albategnium convertit aliter longe Gebrum loquentem introducit. Cum ergo (inquit,) chordam cujuſlibet gradus ex his chordis medietatis, per tabulam ſcire volueris, quære in tabula medietatum chordarum, &c. chordam igitur medietatis majores noſtri Latine ſinum dixerint. Quamobrem cum uſu jam hoc nomen tritum ſit & receptum, ob ſummam brevitatem ſane teneatur. Eſto jam data peripheria *oe*, diameter *ei*, recta à reliquo

liquo termino *o* huic perpendicularis, *ou* ſinus erit peripheriæ *oe*. Vel ſi aſſumatur peripheria *oey*, quam ſubtendat recta *oy*. Atque in eam perpendicularis ſit radius *ae*, iſte inſcriptam *oy* & peripheriam *oey* biſſecabit, dimidium itaque hujus inſcriptæ *ou* relatum ad dimidiam peripheriam *or* ejus ſinus eſt. Ptolomæus, & aliquot antea ſeculis Hipparchus, & ante Hipparchum quoque haud dubie & Ægyptij & Babylonij tabulas inſcriptarum uſurpaverunt. Nos majore cum compendio, inſcriptarum ſemiſſes, ſive ſinus adhibemus. Porrò etiam peripheriæ reliquæ *or* ſinus *ol*, eſt ſinus complementi datæ peripheriæ *oe* vel *oi*. Itaque

Sinus, & peripheriæ quadrante minori, & ejus reſiduo communis eſt.

Reſiduum autem voco datæ peripheriæ à ſemicirculo differentiam, vulgo complementum ad ſemicirculum, verum cum hæc circumlocutio ſit moleſta, & tutius ſit res diverſas diverſis nominibus diſtingui, complementum, ut ſupra definivimus, nobis tantum erit differentia inter datam peripheriam & quadrantem. reſiduum autem exceſſus ſemicirculi ſuper datam peripheriam, & ideo data ſemper ſemicirculo minor intelligatur.

Ut enim inſcripta *oy* baſis eſt ſectioni minori *oey*, & majori *oiy* communis; ita ſemiſſis inſcriptæ *ou*, ad utramque peripheriam *oe* & *ori* quoque refertur.

IV. PROPOSITIO.

Sinus verſus eſt ſegmentum diametri inter ſinum rectum peripheriæ & eius terminum interiacens.

VT in eodem diagrammate peripheria data ſit *or*, ſinus rectus diametro perpendicularis *ou*,

verſus erit *ue*. At ſi peripheria data ſit *ori*, ſinus rectus quidem erit eadem *ou*; ſed verſus recta *ui*. Et Vitello hac voce iſta notione uſus eſt prop. 12. lib. 5. & 38. l. 9. & ibidem hanc vocat ſagittam.

Itaque

Sinus verſus datæ peripheriæ minoris, eſt ſinus complementi eiuſdem à radio differentia : majoris autem ejuſdem & radij ſumma.

Ut hic *or* complementum eſt utriuſque peripheriæ *eo* & *oi*, ejus ſinus *or* vel *au*; hac de radio *ae* ſubducta datur *ue* ſinus verſus peripheriæ *oe*. Contra ſi *au* ad radium *ai* addas dabitur *iu* ſinus verſus peripheriæ quadrante majoris *oi*.

V. PROPOSITIO.

Sinus rectus peripheriæ & complementi æque poſſunt radio.

NAM *ou* & *au* cui *ol* æquatur, rectum comprehendunt angulum, cui radius *ao* ſubtenditur.

Ad quantitatem rectarum circulo inſcriptarum definiendam Ptolomæus more veteris Græciæ, diametrum circuli in 60. partes tributam aſſumpſit, & ſingulas partes in ſexaginta particulas ſubdiviſit; atque ita porrò, idque ut calculus, qui illo ævo lente admodum procedebat, & erat intricatiſſimus, hac logiſtica ſexagenaria paulo eſſet expeditior. quæ ratio etiam ſuperioribus annis à multis eſt frequentata. Interim tamen jure ſuo & merito obtinuit ea radij partitio, quam Regiomontanus & ejus præceptor Peurbachius candidæ animæ in Mathematicos Abacos intulerunt. Ut radius in aliquot millenas partes tanquam continuo decimarum progreſſu tribueretur. Nempe in 100000, 10000000,

10000000, aut alias plures particulas; & ſecundum iſtas peripheriarum quarumvis ſinus invenirentur. & ne in infinitum res abiret, ac aliquis modus ſinuum multitudini poneretur, qui ad omnem uſum eſſet ſatis, Peripheriæ quadrantem *eor* in 90. gradus, & gradus ſingulos in 60. particulas, quæ *ſcrupula* vel *minuta* vocantur, diſtribuerunt. Vt tota quadrantis peripheria in 5400, particulas diviſa intelligatur, & totidem ſinus in Sinuum Canone ordinandi veniant.

Ad horum porrò inveſtigationem, ordinatorum polygonorum latera primam ſternunt viam, quæ quidem per circinum & regulam ex elementis circulo inſcribuntur.

VI. Propositio.

Semiſſes Laterum inſcripti Trianguli, quadrati, quinquanguli, ſexanguli, decanguli; ſunt ſinus 60, 45, 36, 30, *&* 18 *graduum.*

Nam ſi totam peripheriam 360 gr. per 3, 4, 5, 6, 10, dividas dabitur numerus graduum à ſingulis lateribus ſubtenſus. nempe 120, 90, 72, 60, 36. Ut in primo diagrammate ſi *oy* ſit latus Trianguli ordinati in circulum inſcripti peripheria *oey* erit 120 graduum, ergo dimidia *oe* 60, & dimidia inſcripta *ou* ejus ſinus. atque ita de reliquis.

Quantitas autem horum laterum ex elementis eſt repetenda.

Latus inſcripti ſexanguli æquatur ejuſdem circuli radio, itaque ſi radius ſit 100000000, ejus dimidium 50000000 erit ſinus 30 graduum.

Latus Trianguli poteſt triplum circularis radii; erit itaque ejus quadratum 30000000000000000,

& hujus latus 173205081, dimidium 86602540 ſinus 60 gr.

Latus quadrati poteſt duplum radij, erit igitur 141421356, hujus dimidium 70710678 ſinus 45 gr.

Latus decanguli eſt majus ſegmentum radij media & extrema ratione ſecti. erit igitur illud 61803399, cujus dimidium 30901699 ſinus 18 graduum.


Latus quinquanguli æquè poteſt lateri ſexanguli & decanguli eidē circulo inſcriptorum. Inde igitur nobis quinquanguli latus dabitur 117557050, cujus dimidium 58778525 erit ſinus 36 graduum.

Et quindecangulum quoque, & latera polygonorum ex iſtis continua biſectione derivatorum, & horum complementa, & quæ per compoſitionem aut ſubductionem peripheriarum quarum inſcriptę dantur inveniri poſſunt, ad ſinuum plurimorum inventionem neceſſaria ſunt; ideoque ad iſtorum inveſtigationem hæc theoremata ſubjicimus.

VII. PROPOSITIO.

Rectangulum ſub inſcripta à diametro differentiâ & radio comprehenſum, æquatur quadrato inſcriptæ dimidii reſidui ad ſemicirculum.

ID quoque Ptolemæus Magni operis lib. 1. cap. 9. demonſtravit atque adeò ad biſectionem valde eſt oportunum; & nobis quidem maxime, quod radius in milleſimas tributus aſſumatur, ut ideo multiplicatione opus nō ſit. Eſto ab altero diametri termino inſcripta *ei*, eidemque in diametro




tro æqualis *eu* & reſidua peripheria *io* biſecta in *yo*, ajo rectangulum ſub *ao* & *ou* cōprehenſum æquari quadrato inſcriptæ *oy*. connectantur enim *yu ya ye*; cum igitur anguli *iey uey* æquicruri, æqualibus peripherijs inſiſtant habebunt baſes *iy*, *uy* æquales. Triangulum *uoy* æquicrurum, Triangulo æquicruro *ayo* erit ſimile, quia anguli ad baſin inter ſe æquantur. Atque ideo etiam *ao oy ou* latera continue proportionalia, & rectangulum extremorum *ao ou*, æquale quadrato mediæ *oy*. Quod demonſtraſſe oportuit.

Ut aſſumpta *ei* pro ſubtenſa 36 gr. ſeu latere decanguli 61803399, poſita diametro partium 200000000, ejus peripheriæ reſiduum ſunt 144 gr. cujus dimidij 72 gr. ſubtenſa quæratur. latus decanguli de diametro deductum relinquet 138196601, is numerus per radium multiplicatus dabit 13819660100000000 quadratum inſcriptæ 72 gr. & ideo ipſam ſubtenſam *oy* 117557050, cujus dimidium 58778525 ſinus eſt 36 gr.

Si illud quadratum de quadrato diametri ſubduxiſſes, reliquum foret quadratum *ye* nempe 26180339900000000, unde facile liquet, ſi datam inſcriptam ad diametrum addas, & per radium multiplices, dari quadratum inſcriptæ quæ peripheriam è data & dimidia reſidua compoſitam ſubtendat. Sed id quoque ab ipſa Geometria placet arceſſere.

VIII. PROPOSITIO.

Rectangulum ſub recta à diametro plus inſcripta & radio comprehenſum, æquatur quadrato inſcriptæ quæ & datam & dimidium eius reſiduum ad ſemicirculam ſimul ſubtendit.



ESTO inſcripta *ei*, reſidui dimidium *iy*, ſubtenſa compoſitæ *ey*, & ipſi *ei* ſit æqualis *ou*. Ajo rectangulum *ue ea*, æquari quadrato *ey*. ſit enim *es* æqualis ipſi *ei*. erit itaque *sy* rectæ *yo* per propoſitionem antecedentem æqualis. atque ideo anguli ad *s*, *o* interni æquales, & propterea externi quoque *esy uoy*, qui cum æquicruri ſint, baſes *ey uy* habebunt æquales. Et Triangulum *uey* æquicrurum triangulo æquicruro *eay* erit æquiangulum, quia angulum ad *e* habent communem. Atque ideo *ue ey ea* latera continue proportionalia, quadratumque *ey* rectangulo *ue ea* erit æquale.

Sit *ei* peripheria decima totius circuli pars 36 gr. ejus reſiduum igitur *iyo* 144 gr. hujus dimidium *iy* 72 gr. & detur *ei* partium 61803399, hic addatur diameter *eo*, & erit tota *eu* 261803399, factus ab *ue* in *ea* radium 26180339900000000 æquatur quadrato *ey*, unde ipſa *ey* datur 161803399, ſubtenſa 108 gr. cujus dimidium 80901699 eſt ſinus 54 gr.

Atque ita hæc utraque ſectio reciprocari continuè poterit, unde inſcriptæ & ſinus plurimarum peripheriarum invenientur, qui ubi in ſcrupulis integris non terminabuntur, in Canonem ſinuum inſerri

inferri non debent, quia illi tantum ad gradus & ſcrupula integra ſunt ordinati. Niſi forte ut Magnus ille Rheticus ſcrupulorum particulas quoque conſecteris; qui eos canones ad ſextas primorum ſcrupulorum partes proſecutus eſt.

Exemplum hoc antecedens continuatum κατὰ διχοτομίαν pro typo ſubjiciam aſſumpto radio particularum 100000000.

gr. min.	Subtenſæ inſcriptæ.	gr. min	Subtenſæ inſcriptæ reſidui.
72. 0	117557050	108. 0	161803399
36. 0	61803398	144. 0	190211303
18. 0	31286893	162. 0	197537668
9. 0	15691819	171. 0	199383466
4. 30	7851968	175. 30	199845807

Harum inſcriptarum ſemiſſes erunt ſinus, dimidiarum peripheriarum. hoc ordine & modo.

gr. min.	Sinus	gr. min.	Sin. compl.
36. 0	58778525	54. 0	80901699
18. 0	30901699	72. 0	95105651
9 0	15643446	81. 0	98768834
4. 30	7845909	85. 30	99691733
2. 15	3925984	87. 45	99922903

Id autem tibi notandũ ſemper duobus aut tribus, ut minimum circulis, ſinum totum initio majorem aſſumi debere, quam ſit ille ſecundum quem tabulas velis ordinare, ob lubricitatem & calculi varietatem. Ita hic quidem inventus eſt ſinus 2 gr. 15 ſcr. 3925984, qui tamen revera ſit minor nempe 3925981.


3975981 cum ſinus totus ponitur 100000000. ut tantum ad ſeptem circulos ille numerus ſit ſanus & integer.

Hujus rei cauſam quoque aperiemus, ne hic caſus videatur fortuitus. cum enim inſcripta 171 gr. 199383466 de diametro ſubducta relinquat 616534, in quo ſunt notæ tantum ſex, numerus iſte reliquus per radium multiplicatus non poterit nobis exhibere plures numeros integros & ſanos quam ſex ut ſummum. Atqui hic ſunt ſeptem: unde efficitur ultimum neceſſariò eſſe lubricum & à vero alienum; ſi itaque hoc modo biſecando ulterius velis progredi, radius duabus aut tribus notis major ab initio tibi erit aſſumendus. Atque ita datorum polygonorum peripherias & quaſcunque alias biſecando, in infinitum progredi licebit, modo radij quantitatem initio aſſumas oportunam.

Sequitur inventio inſcriptarum, ubi è datis ſubtenſis earundem peripheriarum, ſummæ aut differentię ſubtenſa quoque datur.

IX. Propositio.

Si quadrilaterum circulo ſit inſcriptum duo oppoſitorum laterum rectangula, æquantur rectangulo diagoniorum.




E Ptolemæi cap. 9. lib. 1. qui iſta ab Hipparcho mutuatus eſt. Sit in circulo quadrilaterum inſcriptum *aeio*, cujus diagonij ſunto *ai* & *oe*. Ajo rectangulum *ai* in *oe*, æquari rectangulis oppoſitorum laterum *ae* in *oi*, & *ao* in *ei*.

ao in *ei.* nam ſi latera oppoſita ſint æqualia , tum quidem ex elementis rectangulum diagoniorum, oppoſitorum laterum rectangulis æquabitur; quadratum enim baſis recti anguli, crurum quadratis æquale eſt. At ſi oppoſita latera ſint inæqualia, ut hic, tum angulo *aoe* angulus *iou* ſtatuatur æqualis: cum igitur *oiu*, *oea* in eandem peripheriam *ao* inſiſtant, ijdem quoque æquales erunt: atque ideo triangulum *oiu* triangulo *oea*, æquiangulum lateribus quoque proportionale. Hoc eſt ut *ae* ad *eo*, ita *ui* ad *io.* Simillime quoque, cum per fabricam *aoe* angulo *iou* æqualis ſit, & angulus *uoe* intermedius communis; etiam angulus *ioe* angulo *aou* æqualis erit: ſed & *oau oei* in eadem peripheria æquales ſunt, & triangulum *aou* triangulo *oei* ideo ſimile. hoc eſt, ut *ao* ad *au*; ita *oe* ad *ei.* quare rectangulum *ae* in *oi*, rectangulo *oe* in *iu*; & *ao* in *ei* rectangulo *oe* in *au* æqualia erunt. Hoc eſt duo oppoſitorum laterum rectangula rectangulo diagoniorum æquabuntur. Quod erat demonſtrandum. Atque inde Ptolomæo duo conſectaria derivantur.

I. CONSECTARIVM * κτ᾽ σύνθεσιν. (* per compoſitionem.)

Datis duabus inſcriptis, datur inſcripta utrique pariter ſubtenſa.




SI enim *ai* latus quadrati particularũ 141421356, quantarum circuli diameter 200000000; & *ae* latus ſexanguli 100000000; & quæratur ſubtenſa utrique *ei*; inſcripta nempe 60 & 90, hoc eſt

eſt 150 gradibus pariter ſubtenſa. ſit diameter *ao* à qua *ae ai* inſcriptæ in adverſas partes diſcedant: hinc *eo io* ad diametri terminum eductæ cum iſtis rectum comprehendent angulum: quare ex data *ae* dabitur quoque *eo* 173205081, & ex *ai* ipſa *io* 141421356. Dantur itaque quadranguli *aeio* latera quatuor. atque ideo duo oppoſitorum laterum rectangula *ae* in *io*, & *ai* in *eo*, quorum ſumma rectangulo diagoniorum *ao* in *ei* æqualis oſtenſa eſt: ea igitur per diametrum *ao* 200000000 diviſa, dabit reliquam diagonium *ei* ſubtenſam 150 grad. 193185165: cujus dimidium 96592582. Sinus eſt 75 graduum. Atque eodem in omnibus proceſſu, dabitur inſcripta quæ duabus datis ſubtendatur. unde plurimarum peripheriarum ſinus dari evidens eſt.

II. CONSECTARIVM * κατ' ὑπεροχήν.
(* per differentiam.)

Datis duabus inſcriptis datur inſcripta earundem peripheriarum differentiæ ſubtenſa.



ESTO iterum in hoc diagrammate *ai* latus quadrati, & *ae* latus ſexanguli in ſemicirculo, ab eadem diametri parte; & quæratur *ei*, harum peripheriarum differentiæ ſubtenſa, principio igitur, ut ante, dabuntur inſcriptæ ad ſemicirculum reliquæ *eo* quidem 173205081, & *io* 141421356. ſi igitur rectangulum laterum *ae* in *io*, à rectangulo diagoniorum *ai* in *eo* deducas relinquitur rectangulum *ao* in *ei*.

Atqui

Atqui datur diametur *ae* 200000000; dabitur itaque & reliquum latus *ei* 51763809 inſcripta 30 graduum, cujus dimidium 25881904 ſinus eſt gradum 15, atque ita in cæteris analogia conſimili. Hinc itaque per compoſitionem & per differentiam plurimæ peripheriæ invenientur.


Sed ad totius canonis abſolutam perfectionem iſta fruſtra ſunt, niſi etiam ſinus unius minuti exhiberi poſſit. Id autem quam operoſum fuerit paſſim videre eſt apud eos qui hanc artem οὐκ ἐκ παρέργου tractare inſtituerunt. Sed nos noſtras leges ſecuti expeditiſſime exhibebimus quæ alij operoſiſſimè conſectantur.

X. PROPOSITIO.

Datæ peripheriæ debitam inſcriptam veræ adeò propinquam in numeris exhibere, quam erit ratio diametri ad totam peripheriam data.

PROPOSITIO eſt octava & triceſima noſtri Cylometrici, cum enim ante propoſitione 31 ejuſdē oſtendiſſemus poſita diametro 200,00,000 & peripheria 628,31,853, tum inde dari ſinum unius gradus in ijſdem partibus accuratè ſi octò notarum ſtatuatur diameter ſinum dimidij gradus in ijſdem partibus, ſi tredecim ſinum unius ſcrupuli, ſi novendecim etiam ſinum unius ſecundi. His inde aſſumptis nunc diagrammatis rationem & calculum tantum explicabimus. Propoſitum itaque eſto nobis ſubtenſam duorum ſcrupulorum, vel ſinum unius ſcrupuli invenire.

Sit



Sit *yi* peripheria 1 ſcrupuli & *ui* tangens, *ao* radio æqualis; recta itaque ab *a* per *y* tangenti occurrens in *u* abſumet rectam *ui* ſecundum leges expoſitas peripheriæ *yi* æqualem. ſinus peripheriæ *yi* ſit *ys*, & in *ay* ſit perpendicularis *er*. Cum itaque ſecundum rationem expoſitam diametri 20000000000 ad peripheriã 314159.26536 peripheria unius minuti ſit 2908882 ſed vera pauxillo minor; erit itaque *ui* quoque tanta. Ex quadratis itaque *ai* & *iu* datur quoque quadratum *au* 30000000141, atq; inde proportio ut *au* 3000000141 ad *ui* 2908882; ita *ae* 20000000000 ad *er*. 1939254. Hujus quadratum de quadrato *ae* ſubductum dabit nobis rectam *ar* 19999999906; & de *ey* deductum dabit *yr* 9999999812. unde tota *ay* datur 29999999718. Et hinc obſimilitudinem proportio, ut *ae* 20000000000 ad *er* 1939254 ita *ay* 29999999718, ad *ys* 2908881.

Ego in hoc opere ſecutus ſum ubique terminum minorem ideoque hic ſinus vero unitate eſt minor: is enim fuerit 2908882. ſi ad decem notas ſartum voluiſſes initio terminus ad undecim notas fuiſſet tibi aſſumendus.

Atque hinc jam per συνθεσιν componendo univerſam ſinuum tabulam perficere licet. Quin adeò ſi tabulis deſtitutus ſinum poſtules datæ peripheriæ quæ non ſit major 22 grad. 30 ſcr. ad radium 10000 hæc eadem via eum tibi præſtabit. Et facilius multo ſi dato ſinui poſtuletur peripheria debita. Sed noſtrum cyclametricum adito, ubi iſta accuratius ſumus proſecuti.


Sinum unius minuti alij per continuam biſectionem

nem & inde per proportionem concludunt; Alij ſolidius elegantiuſque per æquationes analyticas; quorum Choragus Magnus ille Vieta in ſuo ad Problema Adriani Romani reſponſo. Eos igitur adeundos tibi cenſeo. Nos noſtra ſecuti ſumus tanquam ſimpliciora & uſui oportuna.

Atque iſta hactenus de inſcriptarum operoſa per ſuas regulas inventione dicta ſunto, ſed & compendia huic negotio oportuna ſunt inventa, unde haud difficulter plurimæ vel inſcriptæ, vel ſinus inveniri poſſint.

XI. Propositio.

Si duæ peripheriæ à circuli triente æqualiter diſtent, earundem inſcriptarum differentia æquabitur inſcriptæ diſtantiæ.



THeorema expeditum ad ſinuum plurimorum inventionem per ſolam additionem aut ſubductionem; Sit enim *ai* latus trianguli æquilateri; & ab *i* puncto utrimque *iu io* peripheriæ æquales, & ipſis inſcriptæ à termino diametri *ao au*; ajo differentiam inſcriptarum *ao au*, æqualem eſſe inſcriptæ *oi* vel *iu*: ſit enim ipſi *ao* æqualis *ay*, & connectatur *iy*; triangula igitur *aio aiy* circa angulos ex hypotheſi ęquales latera habent æqualia, atque ideo ſunt æquiangula, & æquilatera; quare *oi* & *iy* æquantur: ſed *oi* & *iu* quoque æquantur; ideoque *yi* & *iu* crura æquabuntur; angulus autem *aui* inſiſtit in circuli trientem: &

ideo *yui* valet $\frac{2}{3}$ recti; & angulus *iyu* eidem æqualis eſt; & reliquus ideo *yiu* etiam $\frac{2}{3}$ recti implebit. Quare *yiu* triangulum erit æquilaterum.

Hinc adeo datis inſcriptis omnibus ad gradum uſque 120, reliqui uſque ad 180 omnes ſola additionis via quoque dabuntur.

Ut ſi aſſumatur inſcripta 108 graduum 161803-399, & quæratur inſcripta 132 gr. diſtantia utriuſque à 120 gradibus eſt 12. Cujus inſcripta 2090-5692, ea ad inſcriptam 108 addita dabit inſcriptam 132 graduum 182709092. Cujus dimidium 91354546 fit ſinus 66 graduum, poſita ſemidiametro particularum 100000000.

Et contra data inſcripta majore & inſcripta diſtantiæ, dabitur inſcripta tanto minor, quanto propoſita 120 gradibus erat major.

Itaque

Si duæ peripheriæ à circuli ſextante æqualiter abſint, ſinus differentiæ æquatur ſinui diſtantiæ.

Conſectarium protenus ex antecedente propoſitione eſt manifeſtum: quod enim illic de totis inſcriptis, id hic de earundem ſemiſſibus quoque verum eſt. Sinus 45 graduum eſt 70710678, ſinus 15 gr. eſt 25881905, hi compoſiti dabunt 96592-583, qui ſinus eſt 75 gr. Nam 15 & 60 hunc numerum conflant.


Atque ita Canon ſinuum per ſingula minuta nobis ſubductus & ordine digeſtus eſto; extra circulum vero etiam conſiderantur *Tangens* & *Secans*.

XII. PRO-

XII. PROPOSITIO.

Tangens eſt recta peripheriæ ſuæ relativa, eandem in altero termino contingens, & à radio per reliquum terminum educto, intercepta.

IN Geometricis quidem recta infinita circuli peripheriam contingens abſque ullo partium reſpectu ad quas referri ſoleat, definitur. Hic autem ejus infinitæ rectæ lineæ partes ad certas peripheriæ partes alligantur.



In expoſita diagrapha ſit peripheria data *eo*, rectaque in *e* contingens, cui radius *ao* per reliquum terminum continuatus occurrat in *s*; tum *es* tangens refertur ad datam peripheriam *eo*.

Sed & eadem tangens ad reliquam ſemicirculi peripheriam refertur; quia eadem *es* tangens quoque eſt peripheriæ *ori*: continuetur enim radius *ao* in *m*, erit angulus *iao* angulo *mae*; & peripheria *ori* peripheriæ *eym* ideo æqualis. Cum igitur *se* cum *am* continuata, verſus *m* concurrere non poſſit, quia *mae* obtuſus eſt, concurret tamen *m a* verſus *o* in *s*; & ita ſecundum poſitam definitionem *es* quoque tangens erit peripheriæ *eym*: ut enim ſinus majori & minori peripheriæ communis eſt, ita quoque tangens.

XIII. PROPOSITIO.

Vt ſinus complementi ad ſinum datæ peripheriæ, ita radius ad eiuſdem datæ tangentem.


RES in eodem diagrammate clara eſt: cum enim triangula *auo aes* ſimilia ſint, quia *ae* radius utrique *ou* & *es* perpendicularis eſt; ut *au* ad *uo*, ita *ae* ad *es*. Sitque data peripheria *oe* ſinus complementi erit *ol*, vel ei æqualis *au*.

Atque inde dato canone ſinuum, tangentium quoque canon ſola diviſione abſolvetur. Sit enim *oe* peripheria ſexaginta graduum, *or* triginta. Erit ut *au* ſinus 50000000 peripheriæ *or*, ad *uo* 86202540 ſinum periperiæ *oe*, ita radius, ſeu ſinus totus 100000000 ad 173205080 tangentem 60 graduum. Sed ut is bene legittime conſtituatur, ad taxationem diametri ſeptem notarum, opus eſt ſinuum tabulas, ut minimum ad novem circulos ſubduci; nam ut ſupra monuimus, in multiplici compoſitione, ſubdiviſione, duplicatione, aliquis noviſſimis notis error objicitur, qui ne etiam in illas notas incidat, quas ſartas tectas, & ab omni vitio integras poſtules, cautio eſt: certè circa ultimos Canonis limites, in noviſſimis gradibus, ad undecim aut duodecim circulos ſinibus ſubductis opus erit. In iſto autem quod ſupra poſuimus exemplo tangens legittima eſſet 173205080$\frac{76}{100}$, quæ ferè unum integrum conflant.

XIV. PRO-

XIV. PROPOSITIO.


Radius inter tangentem peripheriæ & complementi medius proportionalis eſt.



IN propoſito diagrammate eſto data peripheria *ey*, & tangens ejus *ei*; complementum autem *yo*, & tangens *ou*. erunt igitur latera *ou ae*, *oa ie* parallela, & triangula ideo *auo aie* ſimilia. Quare ut latus *uo* ad *oa*, ſic *ae*, hoc eſt *oa* ad *ei*. Atque hinc quoque ſola diviſione datis tangentibus ad gradum quintum & quadrageſimum omnibus, reliqui majores omnes radij quadrato per iſtos diviſo dabuntur.

XV. PROPOSITIO.

Duarum inæqualium peripheriarum tangentes, ſuorum complementorum tangentibus reciproce proportionales ſunt.




SUnto enim bis binæ peripheriæ *ey yo*, *el lo*, & harum tangentes *er os*, *ei ou*. Ajo ut *er* ad *ei*; ſic viciſſim *ou* eſſe ad *os*. quia rectangulum *er* in *os*, & *ei* in *ou*, nempe à tangentibus peripheriarum & tangentibus complementorum, eidem radij quadrato æqualia ſunt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

XVI. PROPOSITIO.

Duplum tangentis datæ peripheriæ cum tangente dimidij complementi, æquatur tangenti compoſitæ ex data & eiuſdem complementi dimidia.



SIT *em* data peripheria major, ejuſque complementum *om*, harum differentia *es*, earumque tangentes *ei ou es*. Ajo *ei* tangentem, tangenti *ou* & *ey* bis ſumptæ æqualem eſſe; Continuetur enim *ay* ſibi æqualiter in *r*, ſitque in tangentem *ei* perpendicularis *lr*, & connectatur *ir*; Cum igitur *iay* angulus, angulo *iao* ob biſectionem æqualis ſit & *aiy* eidem ob paralleliſmum rectarum *ao* & *ei*; efficitur triangulum *aiy* ad baſin *ai* æquiangulum, & ideo quoque æquale cruribus *ay yi*; ac propterea latus *iy* ipſi *yr* æquale, quare angulus *air* rectus erit; ſed & *oae* rectus eſt; ſubducto igitur illinc angulo *aie*, hinc autem *oau*, reliquus *yir* reliquo *iae*, hoc eſt angulo *oua* æqualis erit: ſed & triangula *aye ryl* ſunt æquilatera, quia anguli ad verticem *y*, & recti ad *e* & *l*, & latera *ay yr* æqualia ſunt: quare *aou rli* triangula habentia *ao* & *rl* latera æqualia & angulos duos æquales erunt æquilatera; & *il* igitur ipſi *ou* æqualis, & *le* dupla *ey*. Quare tangens *ei* tangenti *ou*, & duplæ *ey* æqualis erit, quod erat demonſtrandum.

Atque hinc adeo datis tangentibus omnibus ad 45 gr. reliqui omnes ſola additione conflabuntur. Sit enim nobis inquirenda tangens 45 gr. 1 ſcr, tanquam pro peripheria *em*, hujus complementum

44 gr.

44 gr. 59 ſcr. ſit pro peripheria *om*, differentia utriuſque *ſe* o gr. 2. ſcr. ejus itaque tangens 58178. duplum autem 116356. id additum ad 99941839 tangentem 44 gr. 59 ſcr. conflabit 100058195 tangentem 45 gr. 1 ſcr. ut quærebatur.

Secundo ſit peripheria *em*, 75 gr. 3 ſcr. cujus tangens quæratur pro peripheria *em*, hujus complementum eſt 14 gr. 57 ſcr. *om*, differentia autem 60 gr. 6 ſcr. pro *ey*, hujus tangens 173905333, duplum 347810660, ad tangentem 14 gr. 57 ſcr. 267014409 additum, conflabit 374512069 tangentem 75 gr. 3. ſcr.

Sed & hinc ordine retrogrado invenientur πυθμένες ex quibus tangens optata confletur, atque inde ipſius quantitas juſta quoque invenietur. Rem exemplo propoſito illuſtrabo, ut ſi quæratur tangens 89 gr. 55. ſcr. hoc modo primum reſolves

Dehinc ordine inverſo ita compones
Ad radium 10000000000.

	Gr. ſcr.	
89. 55	Tang. 4 40	816292849
Compl. 5		2
89 56		1632585698
Compl. 10	*Tang.* 42 40	9216968536
89 40	*Tang.* 47 20	10849554234
Compl. 20		2
89 20		21699108468
Compl. 40	*Tang.* 21. 20	3905540719
88 40	*Tang.* 68. 40	25604649187
Compl. 20		2
87 20		51209298374
Compl. 2 40	*Tang.* 10. 40	1883494802

 84 40

84 40	*Tang.* 79 20	53092793176
Compl. 5 20		2
79 20		106185586352
Comp. 10 40	*Tang.* 5. 20	933540099
68 40	*Tang.* 84. 40	107119126451
Comp. 21 20		2
47 20		214238252902
Comp. 42 40	*Tang.* 2. 40	465757485
Differ. 4 40	*Tang.* 87. 20	214704010387
		2
		429408020774
	Tang. 1. 20	232752583
	Tang. 88. 40	429640773357
		2
		859281546714
	Tang. 0. 40	116360535
	Tang. 89. 20	859397907249
		2
		1718795814498
	Tang. 0. 20	58178298
	Tang. 89. 40	1718853992796
		2
		3437707985592
	Tang. 0. 10	29088903
	Tang. 89. 50	3437737074495
		2
		6875474148990
	Tang. 0. 5	14544421
	Tang. 89. 55	6875488693411

Eſt itaque

Eſt itaque tangens $\overline{89}\ 55'$ 68754886934II, ut hac via non opus ſit majoribus ſinuum tabulis, aut ſinu toto, quam ſecundum quem ipſi ſinuum canones ſunt conſtituti.

XVII. Propositio.

Secans eſt recta ſuæ peripheriæ relativa, à centro ad verticem tangentis eiuſdem connexa.

VT in diagrammate Propoſit. 14. Si *ey* ſit data peripheria, tum *ei* erit ejuſdem tangens, & *ai* ſecans. ita *ou* eſt tangens peripheriæ *oy*, & *au* ſecans.

XVIII. Propositio.

Radius inter ſinum datæ peripheriæ & ſecantem complementi medio loco proportionalis eſt.

IN eodem diagrammate, datæ peripheriæ *ye*, ſinus *yr* ad radium *ay* ita ſe habet, ut radius *ao* ad ſecantem complementi *au*. Triangula enim *ary aou* ex definitionibus & conſtructione ſimilia ſunt.

XIX. Propositio.


Secantes peripheriarum, earundem complementorum ſinibus reciproce proportionales ſunt.

ID ex præmiſſa manifeſtum eſt: datæ ſunto in diagrammate Propoſit. 15. *ey. el.* cum enim rectangulum ſub ſecante *ar*, & ſinu complementi *ny* comprehenſum radij quadrato æquale ſit, & quod ſub *ai* & *ml* eidem æquetur; erit ut *ml* ad *ny*, ita viciſſim ſeçans *ar* ad ſeçantem *ai*.

XX. PROPOSITIO.

Vt ſinus peripheriæ ad tangentem eiuſdem, ita tangens complementi ad eiuſdem complementi ſecantem.


RECTANGVLVM enim à ſinu & ſecante complementi comprehenſum, æquatur radij quadrato, per propoſitionem antecedentem: at eidem quoque æquatur rectangulum è tangente, & tangente complementi ejuſdem; Et ipſæ lineæ ideò ſunt reciproce proportionales, nempe, ut ſinus ad tangentem peripheriæ datæ, ita tangens complementi, ad ejuſdem comp. ſecantem; hoc eſt in appoſito diagrammate, ſi *oy* ſit peripheria data, ut *ly* ad *ou*, ita *ei* ad *ia*.



Vel, ut *ly* ad *ou*; ita *ay*, id eſt, *ao* ad *au*, & ita *ei* ad *ia*, & ex æquo igitur; ut *ly* ad *ou*, ita *ei* ad *ia*.

XXI. PROPOSITIO.

Secans Peripheriæ maioris æquatur tangenti complementi plus duplo tangentis differentiæ, & tangente dimidij complementi.



SIT in ſchemate propoſito, peripheria data *me*, ejuſque complementum *mo*, ſecans *ai*, tangens *ie*, tangens compl. *ou*; ajo lineam *ai*, æquari tangenti *ou*


ti *ou* plus dupla tangente differentiæ *ſe*, inter datam & ejus complementum ſcilicet *ey*, & tangente dimidij compl. *om*, ſcilicet *en*: cum enim Propoſitio 16. oſtenſum ſit, lineas *il* & *ou* æquari, nec non *ly* & *ye* tangentem ſcilicet dimidij complementi; ſtatuatur peripheria *eg*, æqualis dimidio complementi *oam*, & proinde *en* æqualis ipſi *ey*, tangens nempe peripheriæ *eg*; Iam quia *ly ye* ſimul faciunt duplum tangentis peripheriæ *es*, *en* autem æquatur tang. dimidij complementi *oam*, dico totam *in* toti *ia* æqualem eſſe: cum enim in triang. *ain*, angulus ad *i* ſit complementum anguli ad *a*, propter parallelifmum linearum *ie* & *oa*, angulumque ad *e* rectum, dimittatur perpendicularis *it*; jam ang. *ati* rectus & *ait* complementum erit angulo *iat* aucto ſcilicet angulo *ean* qui dimidius eſt ipſius *oai*, ideoque *ait* erit quoque dimidium *oau*, & totus *ain* biſectus, & *tin* æqualis *tia* complementum anguli ad *n*; quocirca in triang. *ain* anguli ad baſin æquales, habebunt quoque crura *ai in* æqualia, fietque triangulum æquicrurum quod demonſtrandum erat.

Exemplum eſto tale, detur tangens peripheriæ *om* (complementi ſcilicet, *my* peripheriæ majoris cujus quæritur ſecans) 25 gr. 30 ſcr. 4769755, & tangens differentiæ *ſe*, 39 gr. o ſcr. 8097840, ejuſque duplum 16195680; tangens dimidij complementi 12 gr. 45 ſcr. 2262769: hi tres numeri additi, conſtituent ſummam 23228204, pro ſecante peripheriæ *me*, 64 gr. 30 ſcr. quæ à vera tantum unitate differt, unde patet aſſumendas eſſe tangentes majoris radij ne error ultimarum notarum in antecedentes vergat.

XXII. PRO-

XXII. PROPOSITIO.

Secans peripheriæ cum tangente, æquatur tangenti datæ dimidio complemento auctæ.



SIT enim in hoc diagrãmate peripheria data *es* tangens *ey*, complementum *eos* biſectum in *m*; ajo tangentem peripheriæ *em* æquari ſecanti datæ *ay* & tangenti ejuſdem *ye*. cum enim *oam mas* anguli æqualibus peripheriis inſiſtentes æquales ſint & ob paralleliſmum, angulus *aiy* angulo *oam*, hoc eſt angulo *may*: triangulum *ayi* ideo erit æquicrurum, & *ay yi* æquabuntur; tota igitur *ei*, ſecanti *ay* & tangenti *ye* æqualis eſt.

Vides itaque hac ratione ex tangente & tangente dimidij complementi, conflari ſimplici additione unam ſecantem & unam tangentem aliarum peripheriarum.

Sit data peripheria *ey* 15 grad. ejus tangens 26794919. complementi dimidij 37 36 tangens *ou* 76732699.

Tang. 37 30	76732699
Tang. 15	26794919
Secans 15	103527618
—	26794919
Tang. 52 36	130322537

Nam ſi addas utramque tangentem conflabitur ſecans peripheriæ datæ *ay*. quia *ay* & *iy* æquantur per Prop. 16.

Si iterum addas, dabitur tangens peripheriæ ex data & dimidio complemento conflatæ *ei*.


Magna res eſt, & tabularum Canonicarum compilatoribus admodum neceſſaria; Hac enim via datis

datis tantum tangentibus ordine ad gr.45. per ſingula ſcrupula, & tangentium tabula porrò tota, & ſecantium, ſola additione abſolvetur.

Sed & contra datâ ſecante aut tangente quacunque majoris peripheriæ, quam 45 gr. invenies ordine retrogrado πυθμένας ex quibus illi componantur per ſyntheſin, & ita illorum jam in Canonas relatorum ἀκρίβειαν explorare tibi licebit. Cujus rei haud abſimile exemplum Propoſitione 16. exhibuimus, ad cujus analogiam etiam iſtud haud difficulter explicabis. Potuit etiam huc illud adjici.

XXIII. PROPOSITIO.

Secans peripheriæ æquatur eiuſdem tangenti, & tangenti dimidij complementi.



DETVR in hoc diagrammate peripheria *ea*, ejuſque ſecans *ry* tangens *ya*; dimidium vero complementum arcus *ei* ſeu arcus *am*, ejuſque tangens *an*; dico lineam *ry* æquari lineæ *yn*: cum enim *irm* ſit quadrans circuli, & angulus rectus ad *r*, erit *ire* compl. anguli *yrm*, & æquale angulo *arm* ex ſtructura; ſimiliter ducta perpendiculari ad punctum *n*; angulus *rns*, æqualis erit angulo *ire*, ſeu *arn* ob paralleliſmum linearum *ra*, *sn*; Ergo ſi utrimque ab angulis rectis *irn*, *yns*, æquales angulos *ire* & *snr* auferas, erunt reſidui *yrn* & *ynr* æquales ideoque triang. *ryn* æquicrurum, & *ry* ſecans, æqualis *ya* tangenti & *an* tangenti dimidij complementi quod erat demonſtrandum.

Hinc jam facili calculo ex datis tangentibus totam

tam tabulam ſecantium deduces addendo ſimpliciter duas tangentes, cujus rei exemplum unicum ob oculos ponam; eſto invenienda ſecans 25 grad. poſito radio 100000,00 particularū, quæro itaque in tabula tangentium ejus tangentem 4663081, deinde tangentem dimidij complementi 32 grad. 30 ſcr. 6370702 quâ ad priorem addita conflatur 11033783 ſecans arcus propoſiti quam quærebamus.

Verum enimverò quemadmodum de horum canonum ſtructura compoſitione & origine abunde à nobis hactenus dictum eſt; ita nunc deinceps de ordine eorundem non nihil dicendum ſupereſt. Regiomontanus qui primus omnium Canonem ſinuum initio ad 6000000 inde ad 10000000 putare inſtituit, unicum duntaxat ſinuum canonem ordinavit, quemadmodum Hipparchus & Ptolomæus ſubtenſas. Inde Canonibus Tangentium & Secantium in abacos & epilogiſmum illatis, ſingulis ſeorſim ſuus locus eſt attributus, ut antea ſinibus; Inde oportunitas & utilitas omnes tribus ſelidibus conjungere docuit, ad 45 gradum paginâ ſiniſtra deſcendendo; hinc ordine retrogrado adſcendendo reliquos 45 gradus pagina dextra. Cujus oportunitatis autorem ante magnum illum Ioachimum Rheticum nominare habeo neminem. Porro autem ut paulò accuratius, rationem Canonum noſtrorum explicemus, ita habendum eſt. Cum tabulæ ad gradus & graduum ſcrupula duntaxat ſint ordinata, & uſu aliquando eveniat, ut etiam ad ſcrupulorum ſcrupula, quæ ſecunda vocant ſit ob ἀκριβείας deſcendendum; ſi in hoc caſu ſinus, tangentes & ſecantes inveſtiges, nullum unquam invenies ſcrupulis ſecundis reſpondentem, niſi per partem proportionalem inter minorem & majorem

majorem terminos in tabulis expreſſos, his ſcrupulorum particulis debitam differentiam inquiras, eamque pro datâ peripheria ita numeris in tabula inventis applices, ut ſinum, tangentem aut ſecantem quem quærebas legittimum exhibeat; verum ut hæc commodius intelligantur, docebimus propoſ. ſequenti

XXIV. Propositio.

Datæ peripheriæ ſinum, tangentem, vel ſecantem è tabulis invenire. Et contra; Dato ſinui, tangenti aut ſecanti debitam peripheriam invenire.

Cum enim in Canonibus noſtris ſinus, tangentes & ſecantes ad ſuas peripherias referantur, & contra ipſæ peripheriæ ad ſuos ſinus tangentes & ſecantes; ex altero reliquum inveniri oportet. Et primo quidem, ſit propoſitum ex data peripheria adſcriptam invenire, utpote ſinum anguli ſive peripheriæ 36 graduum 40 ſcr. In fronte tabulæ igitur numerum graduum inquires, in pagina ſiniſtra & in margine deſcendendo ſcrupula, & in communi concurſu invenies numerum 59716. ſinum quæſitæ peripheriæ, vel anguli in eam inſiſtentis. Eadem res eſt in tangentibus & ſecantibus.

Quod ſi major aliqua peripheria quam 45 graduum proponatur, numerum graduum in pagina dextra & minutorum ibidem quæres, quibus ut ante ſuus reſpondebit numerus.

At ſi propoſitæ peripheriæ etiam ſecunda adhæreant, per partem proportionalem inquiretur ſinus ei debitus; ut ſi quæratur ſinus 36 gr. 40 ſcr. 30 ſec. hic in ipſis tabulis actu non datur, ſed ſinus 36. gr. 40

gr. 40 ſcr. 59716. proximè minor, & ſinus 36 gr. 41. ſcr. 59739. proximè major, differentia eſt 24, inde proportio ut 1 minutum primum, ſive 60 ſecunda, ad differentiam 24, ita 30 ſecunda ad 12. qui numerus ad minorem additus, dabit 59728 ſinum optatum hoc radio 100000. Ita enim continuo ordine inſcriptæ ſunt comparatæ ut earum differentia, cum per ſingula minuta diſiunguntur, ſecunda legittime exhibeat, ad radium 10000000. Sed iſta nunc pluribus perſequi ſuperſedeo.

Si dato ſinu, vel tangente, vel ſecante, peripheria poſtuletur ei debita, hoc ſimili analogia inverſis terminis præſtari, nulli dubium eſſe poteſt aut obſcurum, qui antecedentia plane intellexerit.

FINIS LIBRI PRIMI.

WILLEBRORDI

WILLEBRORDI SNELLI
A ROYEN, R.F.

DE CONSTRVCTIONE ET FABRICA CANONIS SInuum, *plenior & uberior commentatio.*

SINVM unius minuti quidam ut Regiomontanus Rheticuſque per continuam peripheriarum biſectionem inveniunt. Nam ſi ex ſubtenſa 60 gr. quæ eſt latus ſexanguli, & ſubtenſa 72 gr. quæ eſt latus quinquanguli; per propoſ. 9. conſ. 2. inveniatur ſubtenſa differentiæ, qui ſunt gradus 12. & per prop. 7. biſecando ſubtenſa gr. 6, & iterum ſubtenſa 3. gr. & hinc 1 gr. 30 ſcr. Id quidem certum eſt & indubitatum, duas ſubtenſas ſex graduum, majores eſſe ſubtenſa graduum 12. trianguli enim duo quælibet latera reliquo ſunt majora; atqui quanto longius procedes tanto tamen propius in poſita diametro, hi termini conſentient; at ſi majorem multo radium aſſumeres, jam differentia ſtatim ſe proderet. Idem de inſcriptarum ſemiſſibus, hoc eſt dimidiarum peripheriarum ſinibus Iudicium eſto, exemplo poſito rem explicabo: ſtatuatur enim ſinus totus 100000.00000.00000,

Gr.	'	"	tum Sinus erunt
6.	0.	0	1045284632.67653
3	0	0	5233.59562.42944
1	30	0	2617.69483.07873
	45	0	1308.95955.71344
	22	30	654.49379.67352
	11	15	327.24865.06526
	5	$37\frac{1}{2}$	163.62454.43624
	2	$48\frac{3}{4}$	81.81229.95607
	1	$24\frac{2}{8}$	40.90615.32028
		$42\frac{3}{16}$	20.45307.70292

In hoc ſyllabo vides ſinum 3. gr. bis ſumptum majorem eſſe ſinu gr. 6. & duplum ſinus 1 gr. 30 ſcr. majus eſſe ſinu 3 gr. atque ita deinceps in reliquis, ſed tamen quanto longius proceſſeris tanto minus illi termini inter ſe diſtant; Ita duplum ſinus o gr. o ſcr. $42\frac{3}{16}$ eſt 40.90615.40584. & ſinus o gr. 1 ſcr. $24\frac{2}{8}$ ſec. eſt 40.90615.32028. Vides itaque ſi radium aſſumas tantum decem notarum tum nihil peccari, ſi huius ſinus dimidium pro illo aſſumatur, & contra: quamobrem idem ille ſinus à ſinibus peripheriarum minorum quam duplo, ſuis peripheriis proportionaliter tantum diſtabit ſecundum hunc radium 1.00000.00000. Atque ideo ſi fiat ut $42\frac{3}{16}$ ſecunda ad 60 ſecunda, ita ſinus 20.45307.70292, ad 29.08882.06637. qui ſinus eſſet unius ſcrupuli, ſed ut monuimus quinque notæ ſunt à fine deterendæ ut reliquæ 2908882. legittimus ſint ſinus poſito radio partium 1000000-0000, Quamobrem ut condas canonem cujus ſinus totus ſit octo notarum hic jam ſatis ſit: nam ut jam ante monuimus ob multiplicem calculum paulo major inſtitui debet, ut opere confecto una aut

altera

altera nota à fine dempta, reliqui numeri ſani ſint & legittimi.

Alijs etiam Algebrica analyſis placuit, ut clariſſimis viris Franciſco Vietæ & Adriano Romano: cum enim poſſit Geometrice inveniri ſinus 3 graduum id enim ante jam eſt oſtenſum; non autem poſſit peripheria Geometrice triſecari ut habeatur ſinus unius gradus aut etiam quintuſecari: Algebra in partes vocata eſt, & per compoſitionem propoſitionis 9, eo deventum, ut pronunciarent ſi ſinus totus ſtatuatur partis 1, tum tres inſcriptas peripheriæ ſubtriplæ, multatas ejuſdem cubo, æquari inſcriptæ peripheriæ triplæ: vel in notis algebricis hoc modo 3l--- 1c. ut ſi detur latus ſexanguli 1, & quæratur ſubtenſa triplæ peripheriæ quæ hoc caſu eſt ipſa diameter; triplum unitatis ſunt 3, cubus ejuſdem 1, hic numerus de illo deductus relinquit 2 ipſam diametrum, quemadmodum oportuit. Eſto aliud, detur latus inſcripti quadrati $\sqrt{2}$, cjus triplum $\sqrt{18}$, ejuſdem cubus $\sqrt{8}$. differentia horum $\sqrt{2}$. ut oportuit: nam latus quadrati & quadrantem & dodrantem peripheriæ pariter ſubtendit.

Sed è tabulis nobis numerus aſſumatur & è ſubtenſa graduum 4 ea eſt $\frac{697990}{10000000}$ quantarum diameter erit partium 2: illius triplum $\frac{2093970}{10000000}$, ejuſdem cubus $\frac{3401}{10000000}$. qui de illo deductus relinquet $\frac{2090569}{10000000}$ pro ſubtenſa peripheriæ 12 gr. atque ideo 1045284 eſſet ſinus gra. 6. qui verè eſt 1045285. quod inde eſt quia nimis arctos initio aſſumpſi numeros ut non ſit mirum ultimam notam in lubrico verſari.

At non hoc tam quæritur, quám ejus converſum, Quomodo ex data ſubtenſa, inveniatur ſubtenſa

peripheriæ ſubtriplæ : hic iſta æquatio jam ad analyſin eſſet revocanda, quod omnibus non æque eſt expeditum: ejus itaque locum alea regulæ falſarum poſitionum nobis ſupplebit, quam etiam in difficillimis æquationibus explicandis, magno cum fructu à magnis viris, tanquam arcanum aliquod adhibitam optimè ſum conſcius ; Sed & idem in ſua Trigonometria peroportune quoque monuit Pitiſcus. Verum ne longe diſcedamus;cum inſcripta peripheriæ ſubtriplæ paulo major ſit triente inſcriptæ triplæ peripheriæ, primum trientem aſſumam datæ inſcriptæ, aut potius numerum pauxillo triente majorem. Sit itaque data 6 gr. inſcripta $\frac{10467191}{100000000}$ & quæratur inſcripta 2 grad. ea fingatur nobis $\frac{3491000}{100000000}$ neque enim neceſſe eſt omnes numeros ſignificantes primo experiunti aſſumere. Hujus cubus eſt $\frac{4254}{100000000}$ qui de triplo inſcriptæ fictæ duorum graduum $\frac{10473000}{100000000}$ deductus, relinquet $\frac{10468746}{100000000}$ pro inſcripta 6 gr. atqui ea vera erat $\frac{10467191}{100000000}$. igitur fictæ poſitionis exceſſus eſt $\frac{15555}{100000000}$.

Aſſumatur itaque minor numerus pro inſcripta 2 gr. $\frac{3490000}{100000000}$ hujus cubus $\frac{4258}{100000000}$ à triplo inſcriptæ deductus relinquet $\frac{10465749}{100000000}$, minorem vera 6 gr. inſcripta $\frac{1442}{100000000}$. formula hæc erit

3491000	+	1555	facti	5426950000
3490000	−	1442		5034022000
		2997		10460972000

quia ſunt ſigna diverſa fit additio, itaque 10460972000 per 2997 diviſus dabit $\frac{3490481}{100000000}$ inſcriptam duorum graduum; quæ ex majoribus tabulis datur accurata $\frac{349048128}{10000000000}$. ecce itaque in notis octo veritatem conſtantem. Quod ſi iterum libeat eodem modo

modo experiri ad 13 aut 14 notas pervenies ex hoc invento; Eadem in alijs via: Certitudinem arguet regreſſus per compoſitionem ſecundum conſect. 1 prop. 9. vel ſane ut jam fecimus ipſe cubus à lateris triplo ſubductus; qui tum inſcriptam triplæ peripheriæ accurate reſtituet.

Ad datæ peripheriæ quintuſectionem, hoc eſt ut data datæ peripheriæ inſcripta, inveniatur inſcripta quæ ejuſdem peripheriæ quintæ parti ſubtenditur, ex eodem conſectario 1 propoſ. 9. hanc æqualitatem invenies; ut poſita ſemidiametro partis 1. tum 5l----5c † 1ß æquatur inſcriptæ quintuplæ: Nempe ſi ad inſcriptæ datæ quintuplum addatur ſolidus primus ejuſdem, & hæc ſumma multetur quintuplo cubi ab eadem inſcripta, ille erit numerus debitus inſcriptæ quintuplæ: Exemplum tale eſto ſubtenſa 60 gr. eſt 1 quæritur ſubtenſa peripheriæ quintuplæ nempe 300 gr. quintuplum inſcriptæ datæ 5, auctum ſolido ab eadem 1 eſt 6, inde quinque ejuſdem cubi deducti relinquunt 1, pro ſubtenſa 300 grad. quod omnino verum eſt, quia inſcripta ad utramque peripheriam pariter refertur.

Verum eſto etiam aliud, ſubtenſa 12 grad. eſt $\frac{2090569}{10000000}$ & quæritur ſubtenſa peripheriæ quintuplæ, nempe grad. 60. dati numeri cubus $\frac{91370}{10000000}$, ejus quintuplum $\frac{456850}{10000000}$. hinc ipſius inſcriptæ quintuplum $\frac{10452845}{10000000}$, ad ejus ſolidum primum nempe $\frac{3995}{10000000}$ additum, conflabit $\frac{10456840}{10000000}$, unde cubi quintuplum ſubductum relinquet $\frac{9999991}{10000000}$ pro inſcripta 60 gr. ubi vides ultimam notam ex operis varietate lubricam; oportuit itaque radium una aut altera nota

 majorem

majorem aſſumi : nam inſcripta 60 gr. debuit radio aſſumpto æquari.

At contra illud potius quæritur, quomodo data inſcripta peripheriæ quintuplæ, inſcripta peripheriæ ſubquintuplæ ſubtenſa inveniatur ; Id vero eadem alea qua in triſectione uſi ſumus tibi erit experiundum : Sit enim propoſita peripheria 85 gr. 20 ſcr. cujus inſcripta detur $\frac{135546\,39982}{100000.00000}$ & quæratur inſcripta 17 grad. 4 ſcr. qui ſunt datæ peripheriæ pars quinta. Aſſumamus itaque terminum hujus quinta majorem, & quidem nunc ſatis parcè, ut quantum hac ratione proficiatur ex iſta analogia ſemper conſtare poſſit. Et primò quidem fingamus ſubtenſam quintæ parti eſſe $\frac{29600000}{100000000}$ ejus cubus $\frac{2593433}{1000000000}$, hujus quintuplum $\frac{12967168}{100000000}$. eiuſdem lateris ſolidus primus erit $\frac{227226}{100000000}$ qui ad lateris quintuplum $\frac{148000000}{100000000}$ additus conflat $\frac{148227226}{100000000}$. inde ſupraſcripti cubi quintuplum deductum relinquit $\frac{135260058}{100000000}$, pro inſcripta quintuplæ peripheriæ ſubtenſa; Atqui ea fuit data $\frac{135546400}{100000000}$. inventa itaque ab hac deficit $\frac{286342}{100000000}$.

Et ſecundo eadem inſcripta peripheriæ ſubquintuplæ ſubtenſa aſſumatur $\frac{29700000}{100000000}$, hujus cubus erit $\frac{26198073}{1000000000}$ ejuſdemque quintuplum $\frac{130990365}{1000000000}$. Et eiuſdem lateris ſolidus primus $\frac{231000}{100000000}$, qui ad quintuplum lateris $\frac{148500000}{100000000}$ additus, conflat $\frac{148731000}{100000000}$. Cujus exceſſus ſupra quintuplæ peripheriæ inſcriptam ex hypotheſi primo datam, eſt $\frac{85654}{100000000}$: ſecundum regulæ falſarum poſitionum præcepta formula hæc erit,

			facti
29600000	−	286342.	8504347400000
29700000	+	85654.	2535358400000
		371996.	11039705800000

atque

atque hinc peracta diviſione dabitur inſcripta quintæ parti ſubtenſa $\frac{29676947}{100000000}$, quæ eſſet $\frac{29676954}{100000000}$, ut è tribus ſanis jam ſex ſint integri inventi : ſi ultra pergeres, rurſum numerus ſanus iſtius eſſet duplus , nempe ad minimum ad radium notarum duodecim, tu ſi libet porrò periculum facito. Hinc jam porro continua biſectione inſcriptam duobus ſcrupulis ſubtenſam invenire licet per ea quæ ſupra à nobis expoſita ſunt præcepta.


Sed & novum hoc atque perjucundum acroama quoque accipe ; ut ſinus quoſcunque , & quorumcumque polygonorum latera ſola additionis via invenire poſſis : & quidem è numeris fortuitis; ego cum in iſta incidi aliud animo agitabam , quemadmodum è ſolis ſinibus mera additione tangentes & ſecantes aliquot exſculpi poſſint , ſed

----- amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur urceus exit?

Profecto commentum mihi perplacet , neque quidquam omnino eſt cauſæ cur tibi diſplicere poſſe exiſtimem. quamobrem animum advorte, & hac tam expedita facilitate tete oblectato , vel in ipſo vaſto mari, aut remotiſſima ſolitudine ſi ita res exigat : cum ea factio vel puero ſemper in promptu eſſe poſſit.

I. PROPOSITIO.

Sinus peripheriarum æquali cremento à quadrante decreſcentium, ordine proportionales ſunt differentijs ſinuum, qui pertinent ad peripherias eodem cremento increſcentes, quarum prima ſit ipſius crementi ſemiſſis.



EXPONATVR circuli quadrans *eai*, & aſſumantur in eo peripheriæ æquales *is su ue*, & biſecetur *eu* ultima in *y*, & compleatur ſemicirculus *ieo*, & ſunto *oc cl le* primis æquales, inſcriptæ igitur *lu, cs* diametro *oi* parallelæ & ab *ea* radio erunt biſectæ, & cum *uy* ſit dimidia peripheriæ *eu* vel *us*, erit ea dimidium crementi *us* vel *si*, ſintque eidem *uy* æquales *ib* & *cg*: hinc connectantur *eu ls ci*, quæ radio *ay* perpendiculares, ab eodem biſecantur: & *yu ys yi* peripheriæ vel potius *bi, bs, bu*, jam pari cremento increſcunt; atque harum prima *yu* eſt dimidium ipſius crementi in utroque ordine: Ajo ſinus primarum peripheriarum *su ey*, quæ à quadrante decreſcunt, proportionales eſſe differentiis ſinuum qui eodem quidem cremento increſcunt, ſed ita ut prima ſit crementi ſemiſſis, quæ hic ſunt *bi bs bu*, hoc eſt, ut *sv* ad *nt*, ita *wn* ad *nr*, cum enim rectangula triangula *eut flt*, habeant

habeant latera *lt tu* æqualia, & anguli ad *u* & *l* in æquales peripherias inſiſtant erunt ſimilia, & præterea æquilatera ut *et tf* ideo æquentur; ſic *fv* & *vʒ* æquantur, & *ltf ſsv* triangula ſunt ſimilia: erit itaque *sv* ad *tu*, ut *fv* ad *te*, & ut dupla *ʒf* ad duplam *fe*, ſed ut *ʒf* ad *fe*, ita ob parallelismum interſecantium erit *mn* ad *ny*, quod erat oſtendendum. Sed numeris idem illuſtrare libet, ſit in expoſito diagrammate *es* 85 gr. *eu* 80 gr. *uy* dimidia differentia cui æquator *bi* 2 gr. 30 ſcr. *bs* 7 gr. 30 ſc. *bu* 12 gr. 30 ſcr.

85 gr.	9961947. *sv*	2 gr. 30 ſcr.	439194.	*am.*
80 gr.	9848077. *tv*	7 gr. 30 ſcr.	1305262.	*an.*
		12 gr. 30 ſcr.	2164396.	*ar.*

erit igitur ut 9961947, ad 9848077, ita differentia inter *am* & *an* 869068, ad differentiam inter *an* & *ar* 859134. quod omnino verum eſſe calculus comprobat.

II. PROPOSITIO.

Vt radius ad ſinum dimidii crementi, ita duplum ſinus complementi totius crementi, ad differentiam inter ſinum dimidij crementi & ſeſquipli eiuſdem. Et ita duplum ſinus complementi dupli crementi, ad differentiam inter ſinum ſeſquipli & ſinum dupli ac ſeſquipli crementi. Atque eo porrò ordine per unius crementi intervallum continuando.

CUM enim triangula *iam*, *cpm*, *spn*, ſint ſimilia, ut jam ante patuit, erit ut *ia* ad *am*, hoc

eſt ut ſinus totus ad ſinum dimidij crementi in eodem diagrammate, ita *cp* ad *pm*, & ita *ps* ad *pn*. & propterea per compoſitionem, ut *ia* ad *am*, ita *cs* ad *mn*. Sed *es* eſt complementum crementi *is*, ejus ſinus *vs*, cujus duplum *cs*, atque *mn* eſt differentia inter *am* ſinum dimidij crementi *bi*, & ſinum ſeſquialterius *bs*, cui debetur ſinus *an*.

Haud aliter reliqua demonſtrabis, eſſe nempe quemadmodum *ia* ad *am*, ita *uc* ad *nr*.

CONSECTARIVM.

Itaque

Licet hinc datis ſinibus quotcunque, à quadrante æquali intervallo decreſcentibus, & ſinu dimidiæ differentiæ, ſola multiplicatione & additione invenire ſinus, qui ad dictarum differentiarum loca intermedia pertinent.

	gr.	ſinus	duplum
Dentur enim ſinus expoſitarum peripheriarum	84	9945219.	19890438.
	78	9781476.	19562952.
	72	9510565.	19021130.
	66	9135455.	18270910.
	60	8660254.	17320508.

Peripheriæ datæ increſcant continuè per gr. 6. cujus dimidium 3 gr. & ejus ſinus 523360,

Fiat itaque ut ſinus totus 10000000, ad ſinum dimidiæ differentiæ 3 gr. 523360,

Ita duplum ſinus 84 gr. 19890438, ad	$1040985\frac{9}{10}$
& duplum ſin. 78 gr. 19562952, ad	$1032846\frac{6}{10}$
& duplum ſin. 72 gr. 19021130, ad	$995489\frac{8}{10}$
& duplum ſin. 66. gr. 18270910, ad	$956226\frac{2}{10}$
& duplum ſin. 60 gr. 17320508, ad	$906486\frac{1}{10}$

qui

qui continuè ad ſinum dimidij crementi 3 gr. additi, dabunt ſinus qui pertinent ad 3 & 6, 3 & 12, 3 & 18, 3 & 24, 3 & 30. hoc eſt 9 15 21 27 33 graduum hoc modo.

Omnes hi numeri ita accuratę congruunt prout ſinit partium ſymmetria: nam ultima nota fuit lubrica initio à nobis aſſumpta: itaque mirum eſſe non debet ſinum 27 gr. 4539908, tantum ad radium ſex notarum omnino eſſe legittimum.

3 gr. ſinus	523360	
	1040985	9
9 gr. ---	1564345	9
	1023846	6
15 gr.	2588192	5
	995489	8
21 gr.	3583682	3
	956226	3
27 gr.	4539908	6
	906486	1
33 gr.	5446394	7

Quamobrem ex iſto conſectario id commodi etiam ſinuum canoni accedit, ut ſingulis multiplicationibus, ſinguli iſti ſinus exhibeantur, quos alioquin ſecundum adſcripti quadrilateri affectiones per propoſ. 9. hujus libri inveſtigarę debebas.

Hac igitur via datis ſinibus 225, intervallo 16 ſcrupul. à quadrante decreſcentibus, cum ſinu dimidij crementi 8 ſcr. dabuntur iſti quos hic ſuis peripherijs expreſſos ſubjicimus: nempe ſi dentur, ſinus, —— —— —— —— 89 44′

Et dato inſuper ſinu 8 ſcr. quæ ſunt dimidium crementum, dabuntur quoque ea methodo quâ ſupra ſinus


	89 44′
	89 28
	89 12
0 24′	88 56
0 40	88 40
0 56	88 24 &c.
1 12	
1 18	
1 44	

Atque

Atque ita porrò ſervato eodem cremento. Iam ex inventis hiſce

III. PROPOSITIO.

Si quotcunque peripheriarum æquali differentia increſcentium, radij ſemiſsis ſtatuatur ſinus dimidij crementi, ſinus complementi totius crementi illi additus fiet ſinus ſeſquicrementi: & huc ſinus complementi dupli crementi aggregatus dabit ſinum dupli & ſeſquipli crementi; atque ita eodem porrò ordine, cuius radius è complementorum quadratis invenitur.



ETENIM ut ante peripheriæ *yu ys yi* æqnali creſcant intervallo, & ſit *yu* æqualis crementi dimidio, eidemque ſtatuatur æqualis *ib*: & ſunto inſcriptæ eodem modo ordinatæ ut prius: ſed inſcriptæ *eu ls* occurrant diametro continuatæ in *q* & *d*; & *cs* continuata ipſi *eq* in *h*. Erunt itaque *am an ar* ſinus *ib* dimidij crementi, *bs* ſeſquicrementi, *bu* dupli & ſeſquicrementi proportionales, ob parallelliſmum interſecantium, rectis *ai*, *ad*, *aq*. atqui *ai* eſt radius ipſe; *ad* ex radio & *cs*; *aq* ex radio *ai* & *cs* & *lu* compoſita; quare iſtarum dimidia erunt in ratione ſinuum *am*, *an*, *ar*, dimidii nempe crementi & ſeſquialterius, & dupli ſeſquialterius. Sed ad

ſuum

ſuum radium qui ex complementorum quadratis inveniri debet.

Sit itaque crementum *is* 30 gr. & ideo *yu* vel *bi* 15 gr. *bs* 45, *bu* 75, & erit ordo hujuſmodi

	aſſumatur	ſin.compl.	dimid.	ſinus	
is	30 gr.	8660254	*ai.*	5000000	15 gr.
iu	60 gr.	5000000	*ad.*	8660254	45 gr.
			aq.	13660254	75 gr.

radij novi quantitatem habebis ex duplo quadrato 45 grad. vel ex quadratis 15 & 75 grad. Sed eſto exemplum paulo luculentius; crementum ſit 6 gr. 40 ſcr. ergo dimidium 3 gr. 20 ſcr. diſponam itaque peripherias à maxima decreſcentes, & earum adſcribam ſinus, inde addendo componam ut habeam omnes dimidiarum, ſeu impares intermedios, ut hic.

		Ex horum additione ad dimidium radium, exiſtunt novi ſinus peripheriarum à dimidio cremento eodem, quo iſtæ intervallo increſcentium: ſed ad novi radij æſtimationem.	3 26	5000000
83 26	9932384		10 0	14932384
76 40	9730450		16 40	24662838
70 0	9396926		23 20	34059760
63 20	8936327		30 0	42996087
56 40	8354878		36 40	51350965
50 0	7660445		43 20	59011410
43 20	6862417		50 0	65873827
36 40	5971586		56 40	71845413
30 0	5000000		63 20	76845413
23 20	3960799		70 0	80806212
16 40	2868033		76 40	83674245
10 0	1736482		83 20	85410727

Vides itaque hic ſecundum demonſtrata exhiberi novos ſinus ad alium radium comparatos: & quia hic caſu incurrimus in trigeſimum quoque

gradum,

gradum , ſinus ei è regione poſitus erit radij dimidius 42996087 , ut totus ſit 85992174. quod ſi non incurreret in 30 gr. hic ordo, tum ex complementis cum invenires, quæ hoc caſu nunquam dantur. Quin adeo ex hoc opere adeo accuratus datur omnium numerorum conſenſus ut longius horum novorum ſinuum ἀκρίβεια producatur , quam ad radium qui ab initio erat aſſumptus.

Exemplum in his pauculis nobis unicum duntaxat eſto. Cum ſinus 30 grad. datur in inventis 42996087. tum ſinus totus eſt 85992174 , & ſinus 43 grad. 20 ſcr. 59011410. Itaque ſi ſinus totus ſit particularum 10000000000. ſinus 43 gr. 20 ſcr. ſecundum hanc analogiā debitus erit 6862416260, ubi nobis tabulæ Rhetici ſuppeditāt 6862416379. Vides itaque canones minores 7 notarum hic errare, qui nobis exhibent 6862417. Atqui noſtri termini ex illis derivati ſunt, & tamen ſuis aboriginibus ſunt ſaniores & magis integri : Certe hujus factionis conſenſus adeo eſt accuratus ; ut vix dici queat ; cauſam ſi quæras mera hic eſt terminorum additio ; non ſimilitudo aut proportio , quæ integritatem ſuam non poteſt ultra producere quam rationum termini , qui ab initio erant conſtituti, at in additione ſecus eſt , quod ipſum experientia & uſus infra luculentiſſime comprobabunt. Sequitur theorema ejuſdem analogiæ & factionis etiam alterum,

IV. Pro-

IV. PROPOSITIO.

Si peripherijs pari cremento auctis ultima quidem quadranti, prima autem cremento æqualis ſit, horum ſinus eam habebunt rationem, quam ſinus peripheriarum, quarum prima maxima ſit quadrans minus dimidio cremento, reliquæ autem ordine per idem crementum decreſcant, donec ultima crementi dimidio ſit æqualis.

VT in eodem diagrammate quadrans *ie* in tres æquas partes eſt tributus, quarum prima ſit *is*, hujus dupla *iu*, tripla *ie*. Et cum *yb* quoque quadrans ſit & *ib* dimidio cremento æqualis, peripheriæ ſecundæ erunt *yi*, *ys*, *yu*. Vides itaque *hq* inſcriptæ *ci*, *hu* ipſi *ls* æquari, ob paralleliſmum: atqui ob parallelas *aq*, *vh*, *tu*, quoque proportionales ſunt lineæ *qh*, *qu*, *qe*, rectis *au*, *at*, *ae*, qui ſunt ſinus peripheriarum *is iu ie*. atque ideo *qh* erit ſinus peripheriæ *si*; *qu* ex *ci* & *ls* compoſita, ſinus *iu*: denique *qe* ipſe radius, ad quem illi ſinus comparantur. Quod autem de inſcriptis *ci*, *ls*, *eu*, verum eſt, idem quoque de earundem ſemiſſibus hoc eſt ſinibus *mi sn ur* verum eſſe conſtat: additis igitur ſinibus theorematis noſtri argumentum quoque ſtabit.

Atque hinc novus condendi canonis modus ad radium majorem, idque per ſolam additionem, ex datis ſinibus ad taxationem radij minoris. Exemplum primum ex ipſo diagrammate petatur, et ſit *ei* 90, *es* 60, *eu* 30. Iam *yi* 75, *ys* 45, *yu* 15, hoc modo.

Gr.	ſinus	Hi additi à maximo incipiendo dabunt ſinus peripheriarum.			
yi 15	2588190		90	19318516	*qe.*
ys 45	7071068		60	16730326	*qu*
yu 75	9659258		30	9659258	*hq*

Hic ſinus quadrantis dimidio cremento multati nempe 75 gr. primum fit ſinus totius crementi 30 gr. reliqui ordine additi, ſinus dupli & tripli crementi exiſtunt, donec totus quadrans expleatur.

Atque hic quidem ſi numerus partitionis ſive crementi in triginta incurrat, ut hoc loco ubi primus eſt; ultimus qui pertinet ad nonaginta hujus erit duplus, ut in iſtis hoc loco inventis 9659258 & 19318516. quare ille eſt dimidius radius, hic totus ad quem tales ſinus comparantur. Eſto exemplum ſecundum ubi totum crementum aſſumatur 22 gr. 30 ſcr. dimidium 11 gr. 15 ſcr. operis ratio hæc erit.

	ſinus		
78 45	9807853	22 30	9807853
56 15	8314696	45 0	18122549
33 45	5555702	67 30	23678251
11 15	1950903	90 0	25629154

Hic rurſum ſinus 78 grad. 45 ſcr. qui eſt quadrans dimidio cremento multatus, fit ſinus crementi 22 gr. 30 cum radius erit 25629154. hujus radij integritatem licebit experiri è complementorum quadratis.

Sed eſto exemplum paulo luculentius, & aſſumatur totum crementum 10 gr. dimidium 5, & iſta erit operis facies

ſinus

	Sinus		ſinus novi
85	9961947	10	9961947
75	9659258	20	19621205
65	9063078	30	28684283
55	8191520	40	36875803
45	7071068	50	43946871
35	5735764	60	49682635
25	4226183	70	53908818
15	2588190	80	56497008
5	871557	90	57368565.

Hic ut ſupra ſinus crementi 10 gr. ſtatuitur ille qui eſt in tabulis ſinus 85 gr. hoc eſt quadrantis ſemicremento multati; reliqua ut in proceſſu videre eſt ex antecedentiū additione exiſtunt: & ſinus 30 graduum hic datur 28684283; ſinus 90 ſeu radius 57368565 duplus antecedentis quemadmodum oportuit. Sed poteſt hoc opus ſæpius continuari, & ita multiplici iteratione è ſinibus ad parvum radium conſtitutis, ijdem in multo majoribus notis inveniri. Exemplum tale eſto, crementum ſit 15 gr. dimidium itaque 7. gr. 30 ſcr. unde operis facies ſurget hujuſcemodi

	Sinus		ſinus novi
82 30	9914449	15	9914449
67 30	9238795	30	19153244
52 30	7933533	45	27086777
37 30	6087614	60	33174391
22 30	3826834	75	37001225
7 30	1305262	90	38306487

V. PROPOSITIO.

Peripheria in partes quotcunque æquales diviſa, ita ut hæc partitio in 30 gr. quoque incurrat, ex datis ſinibus locorum imparium, dabuntur ſinus locorum parium ad novum radium. & contra, ex paribus impares.

SCITVM theorema, & quod uſum percommodum nobis præſtet, ut ex quibuſvis numeris, etiam contingentibus tamen legittimi ſinus exſculpantur. Sed primum theorematis veritatem in numeris veris ſecundum demonſtrata experiamur. Exemplo noviſſimo inventi ſunt ſinus 15,30,45, 60,75, ad radium 38306487. ubi ſinus triginta gr. quoque datur 19153244. hic ſi ſtatuatur ſinus dimidij crementi, reliqui ſinus ordine additi ſecundum propoſitionis 3 præcepta, fient ſinus ſeſquicrementi, & dupli ſeſquialterius, atque ita porro per loca imparia ad finem uſque progrediendo ut hic vides.

15	9914449	82 36	145483330	15	145483330
30	19153244	67 30	135568881	30	281052211
45	27086777	52 30	116415637	45	397467848
60	33174391	37 30	89328860	60	486796708
75	37001225	22 30	56154469	75	542951177
90	38306487	7 30	19153244	90	562104421

Atque ita porrò ſecundum præcepta propoſitionis tertiæ, & quartæ continuando, donec radius tot ſit notarum, quot poſtulabis. Hic ex ſinibus notarum ſeptem, tertia additione habemus ſinum ad radium

radium 100000.0000: nam ſi fiat ut radius 5621-04421 ad ſinũ 75 gr.5429511177 ita 10000000000 ad 9659258257 cum ſinus verus ſit 9659258263; vides itaque ad novem notas hos numeros eſſe ſanos? neque ultra integri eſſe poſſunt quia ipſe radius novus non habet notas plures: quod ſi libeat adhuc ſemel hanc viciſſitudinem iterare habebis eos legittimos ad radium notarum decem hoc modo

82	30	28105221	15	2134803485
67	30	82400338	30	4124123640
52	30	1310800096	45	5832391584
37	30	1708267944	60	7143191680
22	30	1989320155	75	7967195068
7	30	2134803485	90	8248247279

Hujus factionis modus adeo verus eſt, ut licet numeros aſſumas à veris ſinibus quantumvis alienos, modo ſinus 30 gradui attributus ſit dimidius ejus qui 90 adſcribitur, tamen omnes numeri paulatim in ordinem cogantur, & tam ſani ſinus exiſtant, quam qui ex arte legittimè ad datum quemcunque radium derivari poſſunt; tantus eſt huius reciprocationis conſenſus, ut paulatim τὰ νοθεύοντα excernat, & repudiet. Exemplum eſto κίβδηλον & ſunto ſinus fictitij, hoc modo

D 2 Periph.

Periph.	ſin.	Periph.	ſin.	ſin.	
15 6	24	82 30	360	360	5282
30 0	48	67 30	336	696	4922
45 0	68	52 30	288	984	4226
60 0	82	37 30	220	1204	3242
75 0	90	22 30	138	1342	2038
90. 0	96	7 30	48	1390	696
	1		2	3	4

ſin.		ſin.	
5282	77502	77502	1137246
10204	72220	149722	1059744
14430	62016	211738	910022
17672	47586	259324	698284
19710	29914	289238	438960
20406	10204	299442	149722
5	6	7	8

1137246	16687790	16687790
2196990	15550544	32238334
3107012	13353554	45591893
3805296	10246542	55838435
4244256	6441246	62279681
4393978	2196990	64476671
9	10	11

244874467	244874467
228186677	473061144
1959483431	669009487
150356450	819365937
94518015	913883952
32238334	946122286
12	13

Atque ita deinceps; operis autem accuratam veritatem, & quatenus ea procedat in ſedibus numerorum imparium, prout eos hic exhibemus (nam à toto cremento, quod per 30 gradus tranſit, initium fecimus) oſtendet conſenſus ſinuum qui ad 90 & 30 gradus pertinent: nam quoad hic duplicatus illum reſtituit, tantiſper omnes notas ſanas & legitimas eſſe tibi ſit perſuaſiſſimum; ut loco ſelidis decimętertię ultimo ſinus totus datur 946122286, ſinus autem 30 grad. 473061144, cujus duplum 946122288; pronuntio itaque tuto ad radium 94612228 omnes notas bene eſſe accuratas; exemplum ſit in 75 gr. cujus ſinus in eadem ſelide datur 913883952; & ſit ut 946122288 ad 913883952, ita 10000000000 ad 9659258254, ut duo noviſſimi tantum peccent, qui ſunt 54 pro 63, & in novem notarum radio, vix una unitate abeamus à vero diverſi, quod ante monueramus ex conſenſu ſinus 90 & 30 graduum. Quin adeo hæc factio ita accurata & vera eſt, ut licet omnes ſiuus ordine inverſo ſtatuas, & majores ſinus minoribus peripherijs, atque minores majoribus attribuas; tamen poſt multiplicem additionum viciſſitudinem inde integri & le-

gittimi exiſtant, modo leges poſitas ſequaris & ſinus 30 gr. ſtatuatur dimidius ejus qui ad 90 grad. pertinet, res experiunti erit haud difficilis.

Quamobrem ad canonis ſinuum concenturiationem parata & facilis eſt nobis via: Nam ſi prior ordo per ſcrupulorum paria inſtituatur, ut 2, 4, 6, 8, 10, alter loca intermedia explebit 1, 3, 5, 7, 9. atque ita porrò; res ex antecedentibus manifeſta eſt, ut 2700 additiones reciprocando, tam accuratos canones exhibere poſſis quam tibi erit collibitum: atqui cum radius hic alius ſit, quam vulgò uſitatus, hos ſinus ad milleſimas vel diviſionis vel multiplicationis via reduces.

Verum enimverò ne adeo vaſtum pelagus nullo duce, & quaſi fortuitò ingrediaris, quamvis etiam ita ad portum deſtinatum occultis legibus neceſſario proveharis; tamen expediet aliquam adhibere huic operi cynoſuram, quo facilius ex his tricymijs & undarum agitationibus moleſtis, navem in portu incolumem conſtituas. Oportunum itaque erit ſaltem ſingulorum graduum, aut etiam quod non improbē ſemiſſium, ſinus jam ante legittimos ut minimum ad radium quatuor notarum inveniſſe, atque inde ſecundum hanc differentiam proportionaliter ſinuum quantitatem per bina ſcrupula ordinare. Hac enim via, ſecunda additione facile ad radium ſex aut ſeptem notarum legittimos ſinus exſculpes, & ſi eandem viciſſitudinem ſecundo iteres, jam ad 10 aut 11 notas facile pervenies; conſenſum arguet ſinus 90 gr. cum ſinu 30 gr. comparatus, Sed priuſquam hic manum tollam de tabula etiam lateris cujuſcunque polygoni inventionem, mihi hac eadem via docendus es: quam utique inter extrema hujus theorematis merita, haud reponendam cenſeo.

VI. PRO-

VI. Propositio.

Dati cuiuſcunque polygoni latus vero tam propinquum invenire, quam cuique erit collibitum.

Et hæc mantiſſa non eſt negligenda; namque ita vitato intricatiſſimo aliquando opere, ſimpliciſſimè ad veritatis adyta nobis aditus aperitur. Sed hoc mihi ante omnia es monendus numerum polygoni & à 3 & à 2 debere eſſe dividuum. Et à binario quidem ut ejus latus ſemicirculum accurate obeat, & dimidium lateris ſit ſinus; hinc à ternario ut peripheria ſemiſſi debita in 30 gradum quoque incurrat. Atque ideo aliquando datæ figuræ ſextuplum erit aſſumendum, aliquando duplum, aliquando triplum, prout numerus laterum hujus ſectionis erit capax. Sed exemplis res erit illuſtrior.

Sit inveniendum latus dodecanguli, ejus dimidium 6, ergo ſinus dodecanguli ſextam quadrantis partem ſubtendit; nempe 15 grad. Atque ideo hujus progreſſum ita ordinabo per 15 gr. 30 gr. 45 gr. 60 gr. 75 gr. 90 gr. & ſinus 15 gr. erit dimidium latus ſexanguli, & hoc opus propoſitione antecedente à nobis eſt exhibitum.

Eſto etiam aliud & quæratur latus nonanguli, cumque numerus 9 non ſit à 2 dividuus aſſumatur eius quadruplum 36. Hujus dimidium 18; erit itaque quadrans in duodeviginti partes tribuendus nempe 5.10.15.20.25.30.35.40.45. & reliquas deinceps, quas ideo compendij gratia ita notabo, & pro arbitrio numeros aſſumam quoſcunque

	Gr.					
					142791	
1	—	10	1095	1095	141696	142791
2	—	19	1085	2180	139516	284487
3	—	27	1066	3246	136270	424003
4	—	36	1039	4285	136270	560273
5	—	44	1003	5288	131985	692258
6	30	50	959	6247	126697	818955
7	—	55	909	7156	120450	939005
8	—	60	854	8010	113294	1052699
9	—	65	794	8804	105284	1157983
10	—	70	729	9533	96480	1254463
11	—	75	659	10192	86947	1341410
12	60	79	584	10776	76755	1418165
13	—	83	505	11281	65979	1484144
14	—	87	422	11703	54698	1538842
15	—	92	335	12038	42995	1581837
16	—	95	243	12281	30957	1612794
17	—	98	148	12429	18676	1631470
18	90	100	50	12479	6247	1637717
		1	2	3	4	5

Vides hic ex numeris fortuitis ſelide tamen quinta rationem ſinuum 90 & 30 graduum eſſe quæ 1637717 ad 818955. Hujus duplum 1637910, ut quinque notæ quam proxime ſint ſanæ; atque inde concludes ſaltem ad radium 10000 ut proxime numeros ſanos, ſed ad 1000 accuratiſſime omnia reſpondere.

Sed

Sed ante quam id tentemus operæ fuerit pretium lineas ſingulis numeris debitas reſpondentes definire: numerus primi laterculi in ſelide quinta 142791, eſſet dimidium latus ſex & trigintanguli; & ideo ſecundus laterculus 284487 erit dimidium latus duodevigintanguli. Et quartus 560273. dimidium latus nonanguli ſive ſinus 20 gr. Fiat itaque ut 1637717 ad 560273 ita 100000 ad 34210. Cum verus ſinus ſit 34202, ut in quarta nota nondum integra unitate peccetur.

Si iterum hanc viciſſitudinem continues, dabuntur ſinus 90 & 30 gr. 21518.3370 & 10759.2888, hic quinque numeri ſunt omnino ſani, & numerus primi laterculi erit 18754934. ſecundi 37367077. quarti 73598386.

Si rurſum, ſinus 90 & 30 gr. erunt 28274206655, & 14137132973, & reciſis noviſſimis quatuor nimium alienis notis dabuntur ſinus 1, 2, 4 iſti 246426, 490977, 967137, quorum veritas conſtabit ſecundum hujus radij notas; ergo facile ad hunc radium 100000 erunt omnes numeri legittimi. Atque ita continuando quantumlibet progredi licebit.


Unum exemplum inſuper adjiciam tantum in typo, tu calculum ſubducito: ſit quærendum latus ſeptanguli; is igitur numerus cum neque à 3 neque à 2 ſit dividuus, aſſumatur ejus ſextuplum nempe 42, cujus dimidium 21, ſunt latera ſemicirculo inſcripta, & in totidem partes quadrans ſecandus unde ſinus expediantur, numerus ſeptimus incurret in $\overline{30}$, & 14^mus in $\overline{60}$.

Et primus erit dimidium lateris duo & quadragintanguli, tertius quatuordecanguli, ſextus quæſiti ſeptanguli: Nam ſumpſiſti ſextuplum ſeptenarij: Ipſe opus expedito ſi libeat, mihi indicaviſſe ſatis eſt.

Ego dum aliud ago & condendis canonibus tangentium atque ſecantium aliquod compendium quæro præter ea quæ ſupra ſuis theorematis & locis ſunt expoſita, dumque ex alio aliud ſcrutor, quia ſatis adhuc in rebus ipſis pervidendis ineſſe difficultatis exiſtimabam, etiam hanc inſtiti viam, quam in hac appendicula propoſ. 3. propoſui; atque inde expoſito diagrammate adverti *aq* æquari inſcriptis *lu*, *cs* & radio *ai*, atque ideo

VII. PROPOSITIO.

Si quadrans ita ſit ſectus, ut prima peripheria cremento, ultima quadranti ſit æqualis, duplum ſinuum quadrante minorum radio auctum, erit tangens peripheriæ quæ dimidio cremento à quadrante deficiat.



IN poſito diagrammate *eu es ei* ſunto peripheriæ propoſitæ, ergo duplum *ut*, *vs*, ad radium *ai* additum dabit *aq* tangentem anguli *aeq*; vel ei æqualem *yaq*, qui inſiſtit in peripheriam *iy*, & deficit à quadrante *ie* dimidio cremento *ey*. In numeris ita ſit

eu 30.

	finus
eu 30.	5000000
vs 60.	8660254
	13660254
	2
	27320508
ai	10000000

37320508 *aq* tangens 75 gr. nam dimidium crementum 15 de 90 deductum tantum facit reliqui. Ita additis ſinibus 10 gr. ab initio increſcendo datur ſumma 52150260, cujus duplum radio auctum dabit 114300520 tangentem 85 grad. Atque ita porro.

VIII. PROPOSTIO.

Si quadrans ita ſit ſectus, ut prima peripheria dimidio cremento, ultima autem quadranti minus dimidio cremento ſit æqualis, omnium ſinuum duplum erit ſecans ultimæ peripheriæ.

IN eodem enim diagrammate recta *eq* eſt ſecans anguli *aeq*, cui æqualis eſt *yaq*. atqui *eq* componitur ex *eu ls ci*, & hi ſunt dupli ſinuum qui pertinent ad peripherias *yu ys yi*. In numeris ita erit

yu. 15.	2588190
ys. 45.	7071068
yi. 75.	9659258
	19318516
	2

38637032 *eq*. ſecans 75 gr. Eodem modo additis ſinibus 5, 15, 25, 35, & cæteris eo ordine, dabitur ſumma 57368564 cujus duplum 114737128 erit ſinus 85 gr.

Hinc

Hinc addita ſecante hac & tangente ejuſdem ex propoſitione antecedente 114300520, dabitur per propoſ. 23. lib. 1. tangens 85 gr. plus dimidio complemento, nempe 87 gr. 30 ſcr. 229037648. differentia autem ejuſdem ſecantis & tangentis erit tangens dimidij complementi 2 grad. 30 ſcr. 4366o8. Idem è fictitijs noſtris ſinibus præſtari poſſet, atque ita etiam tangentes & ſecantes aliquot hac via inde exſculpi potuere.

Vides itaque hoc opere aliquot ſecantes & tangentes, ex ſinibus ſolo additionis & ſubductionis opere derivari poſſe; neque adeo in hiſce majoribus terminis opus eſſe, quam qui ſint idonei ad ſinuum legittimam ſtructuram; hac via etiam Invenies tangentem & ſecantem 89 gr. 58 ſcr. & denique ex utriuſque ſumma tangentē 89 gr. 59 ſcr. ex differentia autem tangentem 1 ſcrupuli: In opere plura occurrent commoda quæ uſui ſint; Et quamvis non omnes ſecantes aut tangentes inveniri hoc modo poſſunt, at illi poſſunt tamen qui quadrantem totum hoc eſt 5400 ſcrupula exactè partiuntur, & ex differentia etiam novi. Dum ego hanc commoditatem in tangentium & ſecantium factione logiſtarum abacis conor inducere, ecce ἡ τύχη τῆς τέχνης ἡμῖν καλλίω βουλεύεται; ita verum eſt hoc vetus verbum, & in illam quam ſupra expoſui ſinuum fabricam expeditiſſimam & parabiliſſimam imprudens incurri. Habeo alia in ſecantium & tangentium tabulis conſtruendis compendia, verum illa adhuc maturitatem quandam ſuam expectant & accuratiorem manum deſiderant.

IX. Pro-

IX. PROPOSITIO.

Denique

Tangens complementi dimidij ſcrupuli, eſt dupla ſummæ ſinuum per ſingula ſcrupula totius quadrantis.

SIT enim *ey* peripheria unius ſcrupuli, & *eu* duorum, angulus itaque *aeu* erit 89 gr. 59 ſcr. & *ut* ſinus duorum ſcrupulorum, *sv* quatuor, atque ita porro ad ultimum ſeu 90 gr. omnes igitur ſinus binorum ſcrupulorum, additi & duplicati, addito denique ipſo radio æquatur *aq* tangenti 89 gr. 59 ſcr. Et rurſum duplum ſinuum 1 ſcr. 3 ſcr. 5 ſcr. ut *ru*, *sn*, *im*, æquatur ſecanti *eq* ejuſdem anguli 89 gr. 59 ſcr. ſunt itaque in his lineis ſcrupula paria & imparia totius quadrantis, tangens itaque & ſecans complementi unius ſcrupuli æquatur ſummæ omnium ſinuum è ſingulis ſcrupulis. Atqui tangens & ſecans peripheriæ æquatur tangenti datæ dimidio complemento auctæ, hoc eſt tangenti 89 gr. 59 ſcr. 30 ſec. Quare tangens complementi dimidij ſcrupuli eſt dupla ſummæ omnium ſinuum.

Atque hæc quidem de ipſa canonis hypoſtaſi τῆς συνθέσεως abunde dicta ſufficiant; ſequitur uſus.

FINIS.

DOCTRI-

DOCTRINÆ TRIANGVLORVM CANONICÆ,

Liber Secvndvs.

De Triangvlis *planis.*

VSvs Canonis in omnium angulorum vel linearum dimenſione verſatur, quæ latera eſſe poſſint trianguli plani vel ſphærici. Nam omne polygonum in ſua triangula reſolvi è geometricis notum eſt; in his autem Canonibus rectæ ad ſuas peripherias & peripheriæ ad ſuas rectas referuntur: Uſus igitur ſimpliciſſimus & primus in ipſis triangulis verſatur; & inde ei quoque nomen, ut *Doctrina Triangulorum* dicatur. Sed cum triangula in varijs gibbis ſuperficiebus varia eſſe poſſint & difformia, noſtri abaci iſta tantum conſectantur, quæ vel rectis lineis, vel maximorum circulorum peripherijs in ſuperficie ſphærica continentur. Et planum quidem rectilineum triangulum nomine generis ab angulis *triangulum* dicemus, ſphæricum autem à lateribus *Tripleuron*, ita enim id Hipparchus & Menelaus etiam jam ante Ptolomæi ætatem vocitabant. De planis igitur triangulis primum, cujus definitio ex Elementis primis petatur. Obiter tamen de angulorum amplitudine id nobis nominatim hic adſcribendum.

I. Pro-

I. PROPOSITIO.

Anguli rectilinei amplitudinem menſurat peripheria, è vertice anguli tanquam centro, intervallo quocunque deſcripta.

ANGVLVM in ſuperficie à duabus rectis lineis comprehenſum ſuperficiem eſſe res ipſa & λογικωτάτη illius P. Rami definitio docent. Nam illud in geometria axioma indubitatum eſt, Magnitudinem ſecari ab eo, quod una dimenſione à ſecta deficiat; Ita corpus à ſuperficie: ſuperficiem à linea: lineam à puncto ſecari omnis Mathematicorum & Philoſophorum ſchola perſonat. Angulus autem in ſuperficie biſecatur, triſecatur, & pro libitu deinceps dividitur à linea, angulus igitur rectilineus ſuperficies eſt: atque ideo cum anguli comparandi erunt, ſecundum ſuperficies erunt comparandi; At ſi in eiuſdem circuli centro plures anguli verticibus componantur, erit ut angulus ad angulum, ita ſector ad ſectorem; ſed ut ſector ad ſectorem ita peripheria ad peripheriam; ex æquo igitur ut angulus ad angulum ita peripheria ad peripheriam. Ergò καταχρηστικῶς eſt cum dicimus peripherias angulos menſurare: nam linea nullam ſuperficiem menſurat. Hoc igitur volunt, quemadmodum 90 graduum peripheria rectum ſubtendit, ita reliquorum angulorum ratio erit talis, quam habent 90 grad. ad peripheriam inter eorum crura interceptam: ut ſi ea ſit 10 graduum, hic angulus ſit recti pars nona; ſi 30 tertia; ſi 45 dimidia: atque ita porrò, ſecundum eandem analogiam.


Itaque

Itaque

Peripheriarum, & angulorum in centro, iiſdem inſiſtentium, ſinus tangentes, & ſecantes ſunt iidem.

II. PROPOSITIO.

Si trianguli rectanguli, baſis recti, fiat radius circuli, crura erunt ſinus angulorum oppoſitorum.



VT hic vides, ſi centro *a* intervallo hypotenuſæ *ai* deſcribatur peripheria *io*, tum *ei* erit ſinus anguli acuti *iao*. ſi ex acuto *i* deſcribatur peripheria *au*, tum *ae* fiet ſinus anguli *aie*. res ex ſinuum definitione eſt manifeſta.

III. PROPOSITIO.

Itaque

In triangulo rectangulo data recti baſe, & angulo adjacente, datur crus oppoſitum, & contra: data baſe & crure datur angulus huic oppoſitus.

SIT enim datum triangulum in præcedenti diagrammate *aei*. & baſis recti *ai* 17, crus *ie* 8, & reliquum ideo *ae* 15. cum igitur *ai* erit radius, fiet *ei* ſinus peripheriæ *io*, ſive anguli *iao*. Ideoque cum *ai* radius ſit 17, tum *ei* 8 ob ſimilitudinem ſit ſinus anguli ad *a*. ſi igitur *ai* ſtatuatur partium 100000, tum *ei* eſſet 47059 ſinus nempe 28 gr. 4 ſcr. 21 ſec. Eodem modo concludes quantitatem anguli *aie*: nam ut 17 ad 15, ita 100000 ad ſinum 88235. cui in tabulis cedunt 61 gr. 55 ſcr. 39 ſec. Et uterque


hic

hic angulus compoſitus neceſſario rectum, ſive 90 gr. conflabit: ſecus enim error ſubeſſet.

Et contra. Data baſi *ai* 17 & angulo *iae* 61 gr. 55 ſcr. 39 ſec. dabitur crus recti huic oppoſitum: cogito enim in tabulis triangulum huic æquiangulum; baſis autem ſive ſinus totus illic datur 100000, & ſinus dati anguli 88235. Itaque ut 100000 ad 88235, ita *ai* 17 ad *ie* 15. Eadem via dabitur quoque *ae*, partium 8. poſſent verò & hinc quoque alia derivari; ſed id ſectamur ut radius ſive ſinus totus ſemper ſit primo loco: iſta verò inſuper habebimus, cum his cognitis illa per ſe ſint manifeſta. Et niſi ille nobis ſcopus eſſet propoſitus jam ſola ſinuum tabula omni operi abſolvendo foret idonea, quemadmodum olim veteribus canon inſcriptarum. Verum Tangentium & Secantium tabulæ illi fini ſint introductæ ut operi commodam facilitatem præſtarent, & diviſionis labor eo pacto declinaretur: nobis ſane iſtas minutias perſequi non eſt animus.

IV. PROPOSITIO.

Trianguli latera ſinibus oppoſitorum angulorum ſunt proportionalia.



ID vel ex ipſa ſinuum adſcriptione manifeſtum eſt: Sit enim triangulum *aei* circulo inſcriptum, & centro *o* ſunto perpendiculares *os or* quæ & peripherias & inſcriptas biſecent, & connectatur *ao*. angulus igitur *soa* in centro,

tro, angulo in peripheria *iea* in duplam baſin inſiſtenti erit æqualis: & *aor* angulo *aie*: ſunt igitur dimidia latera tanquam ſinus, & tota ſunt ſuis dimidiis proportionalia; quare ut latus *ae*, ad latus *ai*; ita *ay*, ſinus anguli *aoy* ſeu *aie*, ad *au* ſinum anguli *aos*, ſeu *aei*, quod erat demonſtrandum. Haud admodum diſpar erit demonſtratio in triangulo rectangulo & obtuſangulo.

V. PROPOSITIO.

Itaque

Datis angulis datur ratio laterum.

SINT anguli dati *a* 75 gr. 15 ſcr. *e* 49 gr. 30 ſcr. *i* 55 gr. 15 ſcr. latera hanc accipient rationem, *ei* 9670459. *ai* 7604060. *ae* 8216469. nempe candem quam ſinus angulorum oppoſitorum.

VI. PROPOSITIO.

Et

Dato latere & angulis duobus, dabuntur latera reliqua.

SIT enim in eodem diagrammate latus *ae*, 4103 decempedarum, & angulus *e* 50 gr. 24 ſcr. & *a* 97 gr. 11 ſcr. & quærantur latera *ai ei*. Cum tres anguli trianguli duos rectos æquent: ex duobus *a* & *e* datis, tertius quoque ad *i* dabitur 32 gr. 25 ſcr. Quare per propoſitionem antecedentē erit, quemadmodum ſinus anguli *i* 32 gr. 25 ſcr. 5360724 ad latus oppoſitum *ae* 4103 decempedarum: ita ſinus anguli *e* 50 gr. 24 ſcr. 7705132 ad latus oppoſitum

ai 5898

ai 5898 decempedarum; & ita ſinus anguli *a* 97 gr. 11 ſcr. 9921511 ad latus oppoſitum *ei* 7594 decempedarum. Cum igitur *ae* inter Leidam & Hagam diſtantia ſit 4103 duodecempedarum Rhijnlandicarum; diſtantia Leidæ & Goudæ habebit duodecempedas 5898. Hagæ & Goudæ 7594.

Poſſet idem alijs atque alijs abſolvi modis; ſed hic eſt ſimpliciſſimus, & parabiliſſimus. Omnia hic perſequi non eſt noſtri inſtituti, & circuitiones omnino declinamus.

VII. PROPOSITIO.

Et


Datis lateribus duobus & angulo non ab ipſis comprehenſo, dabuntur etiam anguli reliqui.

SED hac lege atque conditione, ut reliqui anguli ad baſin ſpecies definiatur, idque vel ex datis implicite, ut cum angulus datus erit rectus aut obtuſus; tum enim reliquos acutos eſſe manifeſtum eſt. vel alioquin generaliter cum dabitur angulus majori lateri oppoſitus, tum enim reliquum minori lateri dato oppoſitum, illo minorem eſſe ex elementis conſtat. Sit igitur in eodem diagrammate *ai* 5898 decempedarum, *ei* 7594 & angulus *iae* 97 gr. 11 ſcr. & quæratur angulus *e*. Erit itaque per propoſ. 4, ut latus *ei* 7594, ad ſinum anguli *a* 9921511; ita latus ſecundum *ai* 5898, ad 7705132 ſinum anguli *e*. & cum is ſinus reſpondeat acuto 50 gr. 24 ſcr. & pariter obtuſo 129 gr. 36 ſcr. latus autem *ie* majus ſit latere *ai*, angulus quoque *e* minor erit angulo *a*, atque ideo angulus *aei* erit 50 gr. 24 ſcr. & ex his duobus datur reliquus ad *i* 32 gr. 25 ſcr.

Quod ſi quartus proportionalis radio ſit æqualis manifeſtum eſt angulum iſtum eſſe rectum.

VIII. Propositio.

Si in triangulo rectangulo, ex acuti vertice tanquam centro, intervallo cruris recti peripheria deſcribatur, reliquum crus erit tangens; & baſis eiuſdem anguli ſecans.



Et hoc quoque ex primi libri theorematis eſt perſpicuum. Sit *aei* triangulum rectangulum; ergo ſi ex angulo *a* intervallo *ae*, circulus *ey* deſcribatur, fiet *ei* tangens peripheriæ *eo* per prop. 12. l. 1. & *ai* ſecans per prop. 17. Haud aliter, ſi centro *i* intervallo *ie*, peripheria *eu* deſcribatur, tum *ae* fiet tangens, & *ia* ſecans.

IX. Propositio.

Itaque

In triangulo rectangulo datis cruribus, dabuntur anguli obliqui: Et datis angulis obliquis dabitur ratio laterum.

Nam in eodem triangulo ſi *ae* ſit radius ex centro *e*, *ei* erit tangens anguli *a* & *ai* ejuſdem ſecans: aut ſi *ei* ſit radius, *ae* erit tangens anguli *i*, & *ae* ejuſdem ſecans. Sit itaque *ae* partium 15, *ei* autem 8; erit ut *ei* 18 ad *ae* 15 ita 10000000 ad tangentem anguli *i* 18750000 61 gr. 55 ſcr. 39 ſec. vel

ut *ae*

ut *ae* 15 ad *ei* 8, ita 10000000 ad tangentem anguli *a* 5333333 28 gr. 4 ſcr. 21 ſec.

Et viciſſim ſi ſtatuatur angulus *i* 61 gr. 55 ſcr. 39 ſec. & *a* 28 gr. 4 ſcr. 21 ſec. dabitur ratio laterum:

Nam ſi *ae* latus datum fiat radius 10000000, *ei* erit tangens anguli *a* 5333333, & baſis recti *ai* ſecans ejuſdem 11333333. atque ita data laterum ratione, & latere *ae* in expoſita menſura pedum 15, reliqua quoque per proportionem concludentur, hoc modo

ut *ae* rad.	ad tang. *a*	ita *ae*	ad *ei*
10000000	5333333	15	8
ut *ae* rad.	ad ſec. *a*	ita *ae*	ad *ai*
10000000	11333333.	15	17.

NOTA.

Potuit idem ex ſinuum tabulis confici: nam ſi *ai* fiat radius, *ae* & *ei* erunt ſinus oppoſitorum angulorum per propoſ. 2. videlicet ſi *ai* ſit 10000000, tum *ei* foret earundem partium 47058823. & *ae* 8823529. atque hinc proportio

ut *ae* ſin. *i*	ad *ei* ſin. *a*	ita *ae*	ad *ei*
8823529	47058823	15	8
ut *ae* ſin. *i*	ad rad. *ai*	ita *ae*	ad *ai*
8823529	10000000	15	17

verum ut vides hic diviſio eſt adhibenda; quod opus ut declinarent, tabulæ tangentium & ſecantium à recentioribus in hanc artem ſunt introductæ. Ideoque hæc via Ptolomæo & veteribus trita, hodie tanquam nimis operoſa negligitur; & profectò quis frugibus inventis glandibus veſci malit?


X. PROPOSITIO.

Dato Crure recti & angulo acuto dabitur crus reliquum, & baſis.

DETUR crus recti anguli *ae* pedum 15, & angulus alteruter acutus ut puta *i* 61 gr. 55. ſcr. 39 ſec. hinc jam reliquum acutum ad *a*, qui ejus complementum ſit quoque dari manifeſtum eſt, nempe 28 gr. 4 ſcr. 21 ſec. ideoque dato *ae*, dabitur *ei* per tangentem anguli *a*, *ai* vero per ejuſdem anguli ſecantem.

XI. PROPOSITIO.

Data baſe & crure recti dabuntur anguli.



ID quidem antea per ſinuum tabulas abſolvimus; at idem nunc etiam per ſecantium canones præſtabimus. Nam in eodem diagrammate ſi *ae* ſit radius, *ai* eſt ſecans & *ei* tangens. ſit itaque *ae* 15 *ai* 17. quare

ut *ae*	ad *ai*	ita rad.	ad ſecantem *a*
15	17	10000000	11333333


cui cedunt 28 grad. 4 ſcr. 21 ſec. reliquus itaque ad *i* ejus complementum erit 61 gr. 55 ſcr. 39 ſec.

LEMMA, ad id quod ſequitur.

Si ſemiſsis differentiæ inter quadrata crurum & quadratum baſis, per crus alterum dividatur, quotus erit

erit in dividente dicti anguli diſtantia à verticis ſui perpendiculari.

COnſectarium eſt ex elementis, ubi de potentia baſis acuti & obtuſi anguli agitur, derivatum. Itaque demonſtrationem inde petendam cenſeo, nos uſum ſequemur; ſint itaque trianguli *aei* latera *ae* 10, *ai* 21, *ei* 17. & quæratur quantum perpendicularis *eo*, diſtet ab angulo *a*. quadrata crurum anguli, nempe ex *ae* & *ai* addita, conſlant 541. quadratum baſis ejus *ei* 289, differentia 252, hujus dimidium 126 per crus *ai* 21 diviſum, dabit 6 pro *ao* ſegmento: cumque quadrata crurum ſimul excedant quadratum baſis *ei*, angulus igitur *a* acutus erit, & perpendiculum ab *a* verſus *i* diſtabit. Eodem modo invenietur *oi* partium 15.




Sit iterum triangulum *aei*. *ea* 10, *ai* 9, *ei* 17. & quæratur quantum perpendicularis *eo* diſtet ab angulo *a*. quadrata crurum anguli *a*, nempe *ea ai* ſimul addita conſlant 181, quadratum baſis *ei* 289, hoc cum ſit majus illorum ſummâ, arguit angulum oppoſitum eſſe obtuſum, atque ideo perpendicularem cadere ab *a* ultra in partem oppoſitam ab *i*. differentia autem quadratorum eſt 108, hujus dimidium 54 per crus *ai* 9 diviſum, dabit *ao* partium ſex, eodem modo invenies *io* 15, atqui jam perpendicularis *eo* haud difficulter invenietur.

IDEM ALITER.

Si factus à ſumma & differentia crurum, per baſin dividatur, quoti & diviſoris ſummæ dimidium, eſt

in baſi diſtantia perpendicularis à crure maiori: differentiæ eorundem dimidium, diſtantia à minori.

ET hoc ab elementis petitum ex duarum inſcriptarum mutua ſectione; ut hic triangulum eſto datum *aei:* ex angulo *a*, radio cruris majoris *ei* deſcribatur circulus *iys*, & continuentur baſis *ia*, & crus minus *ae*. rectangulum *uas*, æquatur rectangulo *iay*, quare *ay* addita ad *ai* dabit totam *iy*, cujus dimidium *io*, diſtantia à crure



majori. rurſum *ya ri* æquentur, reliquæ *ar* dimidium *ao* diſtantia erit à crure minori. Porro ſi ſummæ dimidium ſit majus baſi ut *io* in triangulo *eri*, argumento eſt angulum ad baſin minori cruri adjacentem, nempe *eri* obtuſum eſſe; ſi minor ſit baſi acutum. Poſſet idem lemma alijs atque alijs modis variari, ſed nobis non eſt animus omnia perſequi.

XII. PROPOSITIO.

Datis trianguli lateribus, dantur anguli.

VTRVM rectangulum, obtuſangulum, an acutangulum ſit id ex eorum legibus conſtat; de rectangulo ſupra dictum eſt, obliquangula autem per lemma antecedens in duo rectangula demiſſa perpendiculari dividantur. ut in præmiſſo diagrammate *aei* ſit *ae* 10, *ei* 17, *ai* 21, ſegmenta baſis *ao* 6, *oi* 15; hinc jam ſi *ae* ex *e* tanquam centro fiat radius, erit *ao* ſinus anguli *aeo*, & ideo ipſe angulus 36 gr.


36 gr. 52 ſcr. 12 ſec. & reliquus igitur acutus *eao* 53 gr. 7 ſcr. 48 ſec. qui tamen per ſe ex ſecantibus inveniri poſſit per propoſ. 11. ſi nempe crus *ao* fiat radius, *ae* erit ſecans anguli *eao*;

ut *ao*	ad *ae*	ita radius	ad ſecant.ang. *a*
6	10	10000000	16000000

cui cedunt ut prius 53 gr. 7 ſcr. 48 ſec. potuit idem angulus per ſinus inveniri, ſi ante inveneris quantitatem perpendicularis *ao*. Eodem modo in altero triangulo rectangulo *oei*, dabuntur anguli *oei* 61 gr. 55 ſcr. 39 ſec. & *eio* 28 gr. 4 ſcr. 21 ſec. Et quia perpendicularis *oe* cadit intra triangulum, dabitur totus angulus *aei* 98 gr. 47 ſcr. 51 ſec.

II. Idem Aliter abſque perpendiculari.

Vt duplum facti à cruribus anguli quæſiti, ad differentiam inter quadrata crurum & quadratum baſis: Ita ſinus totus, ad ſinum complementi eiuſdem.



PROPOSVIT Vieta, nos ita demonſtramus. Sit in utroque hoc diagrammate angulus quæſitus *a*, latera data ut ante. Itaque differentia inter quadrata crurum *ae ai*, & quadratum baſis *ei*, erit duplum rectangulum *iao*, per. 12 & 13 prop. ſec. Euclidis. Sed ut *ae* ad *ao*, ſic aſſumpta communi altitudine *ai*, rectangulum *eai* ad rectangulum *iao*, & ita quoque duplum *eai* ad duplum *eao*; ſed ut *ea* ad *ao*, ita ſinus totus ad ſinum anguli *aeo*, qui complementum eſt anguli quæſiti *eao*; & ex æquo igitur ut duplum rectangulum

eai ad duplum *eao*, ita ſinus totus, ad ſinum complementi anguli *eai*, quod demonſtraſſe oportuit.

In eodem igitur triangulo priori, aſſumptis lateribus ijſdem 21, 10, 17. quærantur hoc modo ſinguli anguli ſigillatim. Et primo quidem angulus *a*, cujus crura ſunt *ea ai*. erit itaque

ut	ad	ita ſinus totus	ad ſin. compl. ang. *a*
420	252	10000000	6000000

cui cedit arcus 36 gr. 52 ſcr. 12 ſec, eius itaque complementum erit 53 gr. 7 ſcr. 48 ſec. pro angulo *a*: nam is ex legibus poſitis eſt acutus. Secundo quæratur in eodem diagrammate *aei*, angulus *e*; duplum facti à cruribus *ae ei* erit 340, differentia inter crurum quadrata *ae ei* 389, & quadratum baſis *ai* 441, nempe 52 (& quia baſis quadratum, quadrata crurum excedit, angulus ad *e* erit obtuſus, ſecundum ea quæ ſuperiori lemmate expoſuimus.) Fiat itaque ut 340 ad 52 ita 10000000 ad ſinum complementi quæſiti anguli *e*, 1529410; peripheria huic debita eſt 8 gr. 47 ſcr. 51 ſec. complementum anguli *e*: & cum is ob ea quæ ſuprà retulimus ſit obtuſus, erit igitur 98 gr. 47 ſcr, 51 ſec. quantum eum jam antè invenimus. Sed ut iſta quoque determinatio in promptu ſit, eam hic adnotare utile viſum eſt.


Namque *ſi quadrata crurum cedant quadrato baſis, angulus ab ijs comprehenſus eſt obtuſus; ſi excedant, acutus; ſi æquentur rectus*: quæ ex elementis ſuam veritatem facillime comprobabunt.


Lemma.

Baſis trianguli plus poteſt quàm crurum differentia, duplici rectangulo ex altero crure atque huius apotomes

tomes & reliqui cruris ſumma, ſi angulus ſit obtuſus; aut differentia, ſi ſecus.

APOTOMEN voco eam partem, quam Regiomontanus caſum perpendicularis dicit. Sit





igitur triangulum *aei*, & anguli *a* baſis *ei*. perpendicularis à vertice *eo*, apotome *ao*, & *ay*, *au* ſint cruri *ae* æquales, connexis *ye eu* angulus *yeu* in ſemicirculo rectus erit: hinc ſit *il* parallela contra *ae*, & triangulum ideo *liu* æquicrurum, cujus baſis *lu* à perpendiculari *is* biſecetur in *s*. hinc ab angulo recto *o* recta *om* biſecet inſcriptam *eu*, quæ ideo ipſi biſegmento *mu* æqualis erit, & triangula *eua oum* ſimilia. his ita conſtitutis, erit ut *le* ad *ai*, ſic *eu* ad *au*, & ſic quoque *ou* ad *um*, quare erit ut *le* ad *ai*, ſic *ou* ad *um*. rectangulaque ideo *le* in *um*, & *ia* in *ou* erunt æqualia, & dupla duplis, nempe *le* in *eu* ipſi *ia* in *ou* bis; ſed *ia* eſt crus unum, *ou* eſt in obtuſo *a* compoſita ex crure reliquo *ae* vel *au*. & apotome prioris *ao*: in acuto ad *a* ex differentia *au ao*. denique *leu* rectangulum æquatur differentiæ quadratorum baſis *ei* & ſegmenti *ui*: nam differentia potentiarum *ei* & *iu* æquatur differentiæ quadratorum ab *es* & *su* ob communē perpendicularem *is*. atqui horum differentia eſt oblongum *leu*; cum enim *lu* ſit biſecta in *s*, & continuata in *e*; oblongum è continuata *le* & continuatione *ue*, cum quadrato biſegmenti *us* vel *ls* æquatur quadrato *es*. quamobrem, ſi dē quadrato *es* ſubducatur̄

quadra-

quadratum *us*, reliquum erit oblongum *leu*, hoc eſt ut oſtendimus *ai* in *ou* bis.

Itaque, Si quadratum differentiæ crurum ſubducatur de quadrato baſis, & reliquum ſit majus duplo crurum rectangulo, angulus ab ijs comprehenſus erit obtuſus; ſi minus, acutus; ſi æquale, rectus: & horum differentiæ dimidio per crus alterum diviſo, quotus erit ejus apotome quæſita.

Ut ſi *ea* ſit 12, *ai* 17, & baſis *ei* 25

17	17	
12	12	25
34	5	25
17	5	625
204	25	25
2		600
408		

quia hic reliquus excedit duplum crurum rectangulum 408, ideo angulus ad *a* erit obtuſus & differentię 192 dimidium 96 per crus 12 diviſum dabit 8 apotomen *ao*. Sed hinc angulus datis lateribus compendioſe invenietur

III. Aliter.

Datis lateribus angulum invenire;

Ut duplum rectangulum crurum, ad exceſſum quadrati baſis ſupra quadratum differentiæ crurum, ita ſinus totus ad ſinum verſum anguli ab illis comprehenſi.

IN præmiſſis diagrammatis angulus ad *a* ſit quæſitus, ſinus verſus *uae* eſt *ou*. ſinus totus *ae* vel *au*. Erit igitur aſſumpta communi altitudine bis *ai*; *ai*

in *au*

in *au* bis ad *ai* in *ou* bis, ut *au* ad *ou*. Sed *ai* in *au* bis eſt duplum rectangulum ſub cruribus *ai* & *ae*; *ai* in *ou* bis eſt æqualis exceſſui quo quadratum baſis *ei* quadratum differentiæ crurum *ui* exſuperat; Id enim præmiſſo lemmate oſtendimus.

Sit ut ante *ae* 12, *ai* 17, *ei* 25, & quæratur angulus *a*.

Fiat ut 408 ad 600, ita 10000000 ad 14705882 ſinum verſum anguli *a*, & quia is major eſt radio, argumentum angulum qui quæritur eſſe obtuſum, nempe

	90		
&	28	4′	21″
	118	4′	21″

Si quis ſinibus delectatur verſis, poterit hanc viam inſiſtere.

IV. Et rurſum Idem Aliter.

Si de dimidio collectorum laterum dati trianguli, latera ſigillatim ſubducantur, erit ut latus facti à dimidio in differentiam lateris quærendo angulo oppoſiti, ad factum à reliquorum laterum differentia, Ita ſinus totus, ad tangentem dimidij anguli quæſiti.

Sint latera eadem quæ prius *ae* 10; *ei* 17, *ai* 21. Et quæratur angulus *a*. collecta latera conſtant 48, dimidium 24, latus angulo *a* oppoſitum eſt *ei* 17, differentia 7. factus *a* 7 & 24 168, factus à reliquis differentiis 3 & 14 eſt 42, 168 ad 42 ſunt in ratione 4 ad 1, horum radices 2 & 1. Itaque ut 2 ad 1, ita ſinus totus 10000000 ad 5000000 tangentem dimidij anguli *a*, nempe 26 gr. 33 ſcr. 54 ſec.

ſec. cujus duplum 53 gr. 7 ſcr. 48 ſec. pro angulo quæſito.

Potuit etiam hoc modo poni,


Vt factus	ad factum	ita quad. rad.
168	42	10000000000000000

ad quadratum tangentis dimidij anguli *a*. 25000000000000 cujus latus 5000000 eſt tangens ut ſupra. Et hæc via expedita videtur cum termini erunt minores, illa cum factorum termini erunt majores. Demonſtratio derivatur ex circulo in triangulum inſcripto & areæ triangularis inventione: puto ſufficere ſi tantum id digito indicem, ne nimia varietate & περιεργίᾳ moleſtus ſim.

Porrò autem cum duæ peripheriæ dantur quarum ſinus datam habeant rationem; ſit autem neutra major ſemicirculo, cujuſmodi duo anguli ſunt in triangulo plano; aut duo latera vel anguli in tripleuro ſphærico, Erit

XIII. PROPOSITIO.

Vt ſumma ſinuum, ad differentiam eorundem, ita tangens dimidiæ ſummæ peripheriarum, ad tangentem dimidiæ, earundem differentiæ.



SVnto expoſitarum peripheriarum *oi ie*, ſinus *ou ey*, ſubtenſa utrique pariter *oe*, ſecta à communi radio *ai* in *r*, & perpendicularis in eam ſit *as*; & rectæ *sr* æqualis *sl*. erit igitur *ras* angulo *sal* æqualis; & *lae* dato *oar*. quare *ral* angulus differentiæ inter *lae* hoc eſt, *oar* & *rae*, biſectus eſt ab *as*. & tangens dimidiæ

ſummæ

ſummæ *es* ſi radius aſſumatur *as*; & dimidiæ differentiæ *sr*. Cum igitur triangula *our éyr* ob ſinus parallelos ſint ſimilia, erit *ou* ad *ye*; ut *or* ad *re*. Ergo etiam componendo & dividendo ut ſumma ſinuum *ou ye* ad differentiam eorundem, ita *or* & *re* id eſt *oe* ad *rl* earundem differentiam, & ita quoque harum dimidia *es* ad *sl*. Erit igitur ut *oe* ad *rl*, hoc eſt ut ſumma ſinuum ad differentiam, ita tangens dimidiæ ſummæ, ad tangentem dimidiæ differentiæ. Si peripheriæ ambæ ſimul majores ſint ſemicirculo ſingulæ autem ſemicirculo minores, res eadem erit: nam ſinus tam ad majorem quam minorem peripheriam pariter refertur.

Itaque

CONSECTARIVM.

Data ratione ſinuum, & vel ſumma vel differentia peripheriarum, dantur ſingulæ.

QVod enim in ipſis ſinibus verum eſt, hoc in eorundem homologis terminis quoque verum erit: ita ſi ratio ſinuum ſit ut 9 ad 5, peripheria autem tota 94 gr. 9 ſcr. Fiat igitur ut 14 ad 5, ita tangens dimidiæ peripheriæ 94 gr. 9 ſcr. hoc eſt 47 gr. 4 ſcr. 30 ſec. 10751870 ad 3071963 tangentem dimidiæ differentiæ 17 gr. 4 ſcr. 30 ſec. quæ peripheria ad ſupraſcriptum dimidium addita & ab eodem deducta, dabit peripheriam majorem 64 gr. 9 ſcr. minorem 30 gr. 0 ſcr.

Quod ſi ſinuum ratione data, differentia peripheriarum eſſet data, ut manente eadem ratione 9 ad 5. ſit differentia 34 gr. 9 ſc. Vt igitur 4 ad 14, ita tangens dimidiæ differentiæ 17 gr. 4 ſcr. 30 ſec. 3071963 ad tangentem ſummæ peripheriarum dimidiæ. 10751870 cui cedunt 47 gr. 4 ſcr. 30 ſec.

pro

pro ſumma dimidia, huc dimidia differentia & addita & dempta, dabit peripherias quæſitas 64 gr. 9 ſcr. & 30 gr. 0 ſcr.

XIV. PROPOSITIO.

Datis duobus trianguli lateribus, & angulo ab ipſis comprehenſo, dantur anguli reliqui.

NAM datis cruribus trianguli, datur ratio ſinuum qui ad angulos oppoſitos pertinent per propoſ. 4. Sit enim in triangulo *aei* propoſ. 12. angulus *a* 53 gr. 7 ſcr. 48 ſec. & crus *ae* 10, *ai* 21, hinc reliqui anguli nobis ſint inquirendi: ſi datus angulus de duobus rectis ſubducatur, datur ſumma angulorum *e* & *i* nempe 126 gr. 52 ſcr. 12 ſec. Hujus ſemiſſis 63 gr. 26 ſcr. 6 ſec. tangens 20000044, ut igitur ſumma crurum 31, ad differentiam eorundem 11, ita tangens 20000044 ad 7016789 tangentem dimidiæ differentiæ 35 gr. 21 ſcr. 45 ſec. hæc peripheria ad ſummæ dimidium addita, dabit angulum *e* majori lateri *ai* ſubtenſum 98 gr. 47 ſcr. 51 ſec. & ab eodem dimidio ſubducta, dabit reliquum angulum *i* minori lateri ſubtenſum 28 gr. 4 ſcr. 21 ſec.

II. IDEM ALITER.

SED idem etiam aliter reductione ad rectangula præſtari poteſt, ſi cui id arrideat: nam ſi ab alterutro reliquorum angulorum, perpendicularis demittatur *eo*, in triangulo rectangulo *eao* dantur *ae* baſis recti cum angulo. itaque per propoſ. 2. dabitur *ao* & *eo*. ex differentia autem *ao* & *ai*, dabitur *oi*. quare in triangulo rectangulo *eoi* datis cruribus

per

per propoſ.9. dabitur angulus *i* quæſitus, atque ita quoque reliquus ad *e*, quem tamen è duobus *aeo ieo* conflare licet ut tanquam examen ſit tui operis.

Hinc jam ex utraque hac factione, baſin anguli dati haud difficulter inveſtigabis: nam ſi priorem modum ſequaris adhibenda eſt propoſitio 5. ſi poſteriorem vel ex quadratis *eo oi* dabitur quadratum *ei*; vel invento angulo *i* per propoſ. 10.


Sed & baſis datis cruribus cum angulo ab ipſis comprehenſo, per ſe abſque ulla circuitione inveniri poterit hoc modo

III. IDEM ALITER.

Vt ſinus totus, ad ſinum complementi dati anguli; ita duplex rectangulum ſub cruribus, ad differentiam inter quadrata crurum & quadratum baſis.

ET ſi quidem angulus datus acutus exiſtat dematur à crurum quadratis, ſin obtuſus ijſdem addatur, & numerus hinc exiſtens erit quadratum baſis,

Hujus theorematis veritas ita poteſt demonſtrari: detur angulus *a* cum cruribus *ca ai*. & ab *e* perpendicularis *eo*.



erit ergo ut ſinus totus ad ſinum anguli *aeo*, ita *ae*, ad *ao*, atque ita, aſſumpta communi altitudine *ai*, rectangulum *ea* in *ai*, ad *ao* in *ai*. atque ita duplum rectangulum *eai* ad duplum *oai*: ſed duplum rectangulum ſub *oa* & *ai* æquatur differentiæ inter quadrata crurum *ae* & *ai* ſimul, & quadratum baſis *ei*. cum autem angulus acutus eſt, crurum qua-

 drata

drata tanto ſunt majora ; at cum obtuſus tanto minora quam quadratum baſis ; hoc enim ex elementis planum eſt. atque ita dabitur baſis quadratum, & inde baſis ipſa.

In numeris exemplum eſto tale. Sit *ae* 10, *ai* 21, angulus *cai* 53 gr. 7 ſcr. 48 ſec. ſinus complementi eſt 5999992. duplum rectangulum ſub cruribus *ae* & *ai* 420.

ut ſin.tot.	ad ſin.com.*a*,	ita dupl.rect.	ad
10000000	5999992	420	252

hæc igitur eſt differentia inter quadrata crurum *ae ai*, & quadratum baſis *ei*. & cum angulus datus *a* ſit acutus, erit à crurum quadratis 541, ſubducenda, reliquus 289 eſt quadratum baſis *ei* & ipſa adeo *ei* 17. quam invenire oportuit.

IV. IDEM ALITER.

Vt ſinus totus ad ſinum verſum anguli dati, ita duplex rectangulum crurum, ad exceſſum quo quadratum baſis ſuperat quadratum differentiæ crurum.

VEritas hujus è lemmate caſus tertij propoſitionis 12 eſt manifeſta, itaque inde repetatur. Sit *ae* 12, *ai* 17, & angulus *eai* $\overline{118}$ 4′ 21″ & quæratur baſis *ei*.

ut ſin. tot.	ad ſin. verſum	ita dupl.rect.crurũ	
10000000	$\overline{118}$.4′.21″.	408	ad 600;
	14705885		

huic itaque ſi addatur quadratum à differentia crurum, nempe 25, totus 625 erit quadratum baſis *ei*, Cujus latus 25, ipſa baſis *ei* quæſita.


Sed ad extremum etiam hanc mantiſſam accipito;

pito: Quomodo datis trianguli rectanguli lateribus ejuſdem anguli abſque his canonicis Sinuum, Tangentium aut Secantium tabulis inveniri poſſint.

XV. PROPOSITIO.

Vt duplum baſis anguli recti crure maiore auctum ad crus minus, ita ſinus totius triplum, ad peripheriam angulo minori cruri oppoſito congruam.

HVIVS veritatem & demonſtrationem pete è cyclometrico noſtro propoſitione 28 & 31: nos ſolo uſu nunc erimus contenti, ſi plura requiras iſtinc ea tibi erunt arceſſenda. Exemplum tale eſto, Sit in expoſito triangulo rectangulo *esy*, baſis *ey* 25, crus recti majus *es* 24, & *ys* 7, & fiat ut dupla *ey* & *es*, hoc eſt *as* 74 ad *sy* 7, ita triplum ſinus totius tanquam ea eſſet *ai*



300000.000 ad *iu* 28378.378, cui ut in cyclometricis oſtenſum eſt peripheria *yi* ut proxime æquatur, ſed tamen aliquo minimo ipſam *iu* excedit.

Si ita ſcire expetas quot gradibus & minutis ea recta, vel *yi* peripheria reſpondeat, proportione concludes: Cum enim ad iſtam diametri taxationem 200000000, peripheria circuli ſit 628318531. Erit itaque ut 628318531 ad numerum inventum 28378378, ita 360 grad. ad 16 grad. 15 ſcr. 34 ſec. 37 ter.

Poſito radio 100000.000 partium.

Gr.	Peripheria.	Gr.	Peripheria	Gr	Peripheria.
1	1745.329	31	54105.207	61	106465.084
2	3490.658	32	55850.536	62	108210.414
3	5235.988	33	57595.865	63	109955.743
4	6981.317	34	59341.195	64	111701.072
5	8726.646	35	61086.524	65	113446.401
6	10471.976	36	62831.853	66	115191.731
7	12217.305	37	64577.182	67	116937.060
8	13962.634	38	66322.512	68	118682.389
9	15707.963	39	68067.841	69	120427.718
10	17453.293	40	69813.170	70	122173.048
11	19198.622	41	71558.499	71	123918.377
12	20943.951	42	73303.829	72	125663.706
13	22689.280	43	75049.158	73	127409.035
14	24434.610	44	76794.487	74	129154.365
15	26179.939	45	78539.816	75	130899.694
16	27925.268	46	80285.146	76	132645.023
17	29670.597	47	82030.475	77	134390.352
18	31415.927	48	83775.804	78	136135.682
19	33161.256	49	85521.133	79	137881.011
20	34906.585	50	87266.463	80	139626.340
21	36651.914	51	89011.792	81	141371.669
22	38397.244	52	90757.121	82	143116.999
23	40142.573	53	92502.450	83	144862.328
24	41887.902	54	94247.780	84	146607.657
25	43633 231	55	95993.109	85	148352.986
26	45378.561	56	97738.138	86	150098.316
27	47123.890	57	99483.767	87	151843.645
28	48869.219	58	101229 097	88	153588.974
29	50614.548	59	102974.426	89	155334.303
30	52359.877	60	104719.755	90	157079.633

Scr. prima

Scr. pri.	Peripheria.	pri.	Peripheria.	Sec.	Peripher.	Sec	Peripher.
1	29.089	31	901.752	1	485	31	15.029
2	58.178	32	930.842	2	970	32	15.514
3	87.266	33	959.931	3	1.454	33	15.999
4	116.355	34	989.020	4	1.939	34	16.484
5	145.444	35	1018.109	5	2.424	35	16.968
6	174.533	36	1047.198	6	2.909	36	17.453
7	203.622	37	1076.286	7	3.394	37	17.938
8	232.711	38	1105.375	8	3.878	38	18.423
9	261.799	39	1134.464	9	4.363	39	18.908
10	290.888	40	1163.553	10	4.848	40	19.393
11	319 977	41	1192.642	11	5.333	41	19.877
12	349.066	42	1221. 730	12	5. 818	42	20.362
13	378.155	43	1250.819	13	6.303	43	20.847
14	407.243	44	1279.908	14	6.787	44	21.332
15	436.332	45	1308.997	15	7.272	45	21.817
16	465.421	46	1338.086	16	7.757	46	22.301
17	494.510	47	1367.175	17	8.842	47	22.786
18	523.599	48	1396.263	18	8.727	48	23.271
19	552.688	49	1425.352	19	9.211	49	23.756
20	581.776	50	1454.441	20	9.696	50	24.241
21	610.865	51	1483.530	21	10.181	51	24.725
22	639.954	52	1512. 619	22	10.666	52	25.210
23	669.043	53	1541 707	23	11. 151	53	25.695
24	698.133	54	1570.796	24	11. 635	54	26.180
25	727.221	55	1599.885	25	12. 120	55	26.665
26	756.309	56	1628.974	26	12.605	56	27.150
27	785.398	57	1658.063	27	13.090	57	27.634
28	814.487	58	1687.152	28	13.575	58	28.119
29	843.576	59	1716. 240	29	14.060	59	28.640
30	872.665	60	1745.329	30	14.544	60	29.089


Canonia iſta facile ipſe concenturiabis ubi ubi locorum verſetis, modo rationem diametri ad peripheriam memoriæ infixam ſerves. Namcum diameter erit 1 00000,00000.00000 tum peripheria, erit 3.141[illegible]625.35.89793 atque hinc facile eſt invenire quantum uni gradui, quantum denis aut vicenis cedat; & ſimiliter quantum uni ſcrupulo primo, ſecundo, tertio, & quantum denis, unde ſola additione tabellæ iſtæ conflantur.

Sed quia iſtud perquam moleſtum & operoſum eſt, tabellam conſtruxi in qua ſingulorum totius quadrantis graduũ quantitas ad radium 10000000 ſit ſubducta; & inde ſingulorum ſcrupulorum, atque adeo ſecundorum quoque. Cujus uſus hic eſt, ut ex dato numero ſtatim ipſius quantitas in gradibus ac minutis, & contra inveniri poſſit; Id enim in eodem numero 28378.378, experieris hoc modo

28378.378	
27925.268	16 gr.
453.110	
436.332	15 ſcr.
16.778	
16.484	34 ſec.
294	

unde efficitur angulum quæſitum *yes*, eſſe 16 grad 15 ſcr.34 ſec.37 ter,ut ſupra. quem è tabulis ſinuum invenies 16 gr.15 ſcr. 36 ſec.44 tert. ut ille à nobis hac via inventus 2 ſec.7 ter, iſtoc tantum ſit minor.

Sed non opus erat ad tabulas provocare quin adeo noſtra factio à ſeipſa ſuæ veritatis πίστωσιν & fidejuſſorem accipiet. Verum hoc mihi ante monendus es, ſi baſi anguli recti (ut in hoc diagram-



mate *aci*) nempe *ai*, ſtatuam *oa* æqualem, angulum *ioe* dimidium eſſe ipſius *iae*, quia *iae* externus duobus *aoi aio* inter ſe æqualibus, eſt æqualis. eandem ob cauſam ſi *oi* & *ou* æquentur, angulus *eui* erit dimidius ipſius *eoi*, & quadrans anguli *eai*.

Sit igitur *ae* 7, *ei* 24, *ai* 25, & cum majori errori obnoxium

obnoxium hoc ſit, quando duplum baſis minori cruri adjicitur & inde proportio inſtituitur; inveniantur latera trianguli *oei*. & *ei* quidem erit ſemper eadem; *oe* autem ex *ea* & *ai* compoſita, erit 32 partium, & è quadratis *oe* & *ei*, dabitur *oi* 40. Fiat itaque ut in theoremate eſt expreſſum, quemadmodum *oe* 32 & *oi* bis, hoc eſt 112, ad *ei* 24, ita 300000000 ad 64285714 peripheriam angulo *o* debitam, cui ut vides reſpondent 36. 49′ 59″. qui tamen verè debebat eſſe 36. 52′. 12″ ut error ſit $2'\frac{1}{4}$. ergo in duplo $\overline{73}$. 39′. 58″ deficerent $4'\frac{1}{2}$. Hoc ideo moneo ut videas terminos qui operi tuo & & accuratæ diligentiæ, quam poſtulabis, ſint ſatis. quare iteretur biſectio, & *oi* 40 cum *oe* 32, compoſita conflent nobis *eu* 72. inde quadrata *ie* & *ue* dabunt baſin *ui* $75\frac{894660}{10000000}$. Atque hinc proportio ut *eu* cum dupla *ui* $223\frac{789320}{10000000}$ ad *ei* 24, ita triplum ſinus totius 300000000 ad 32173117 pro peripheria debita angulo *u*, cui ex canonio appoſito cedunt $\overline{18}$. 26′. 1″. 50‴. cum debeant, fuiſſe $\overline{18}$. 26′ 6″. 49‴ ut differentia ſit tantum 5″. Porrò quadruplum inventæ peripheriæ nempe $\overline{73}$ 44′ 7″ 20‴ definiet angulum *iae*. qui additus ad ſupra inventum *aie*, 16. 15′. 34″. 37‴. conflat 89 gr. 59′. 41″. 37‴. ut differentia à recto tantum ſit 18″. Quod ſi utrumq; iterum libuiſſet biſecare, jam error demum in ſcrupula tertia incurreret, quod experiunti manifeſtum erit: Atque ita continuando vel in ipſis quartis, quintis, & ultra, accurata veritas extorqueri poſſet.

Porrò autem, ut tuo uſui hic locus opportune ſerviat, iſti limites erunt tibi notandi.

I. Cum crura anguli recti erunt æqualia, tum

directe hac via tantum 6 ſcrupulis infra verum conſiſtes.

II. Cum ratio majoris cruris ad minus ea erit quæ 4 ad 3, tum tantùm $2'\frac{1}{2}$ ſcrupulis à vero deficiet.

III. Cum ea erit quæ 24 ad 7, tum anguli minoris acuti quantitas à verò deficiet tantum $\frac{1}{2}$ ſecundis.


Et hinc adeo tibi facile eſt pervidere, quouſque biſecando velis progredi, & quatenus ulterior operis & calculi tui περιεργία debeat procedere. atque ita hic planorum triangulorum, & Libri ſecundi ſimul FINIS eſto.

PROBLE-

PROBLEMATA GEODAETICA.

I. PROBLEMA.

Datis trianguli lateribus duobus & angulo ab ipſis comprehenſo, perpendicularem ab angulo ignoto in crus oppoſitum invenire.



VT ſi detur angulus *a* 60 gr. & ejus crura *ea* 24 decemp. *ai* 30, & quæratur perpendicularis *eo*. Cum igitur in triangulo *eoa* detur angulus *a* & baſis recti *ae*, erit per propoſ. 2 lib. 2.

ut ſinus totus	ad ſinum ang. *a*	ita *ae*	ad *eo*
10000000	8660254.	24 decemp.	$20\frac{78}{100}$

quem numerum ſecundum decumanam partitionem ita enuntiamus, 20 decemp. 7 pedes, 8 digit. Qui ſcrupuloſe accurati ſunt etiam decimas digitorum & decimarum decimas adjiciunt, quod aliquando in corporum dimenſione eſt neceſſarium.

Si ang. ad *a* detur obtuſus, ſumendus eſt ſinus reſidui ejus, qui æquo jure ad illum ipſum attinet, ut ſi in hoc exemplo detur 120 grad. tum operatio erit plane eadem, quoniam aſſumendus eſt ſinus 60 graduum.

CONSECTARIUM.

Itaque

Vt ſinus totus, ad ſinum anguli dati, ita rectangulum ſub eius cruribus, ad duplum areæ propoſiti trianguli.

CUM enim per antecedens problema ſit ut ſinus totus, ad ſinum anguli *a*, ita crus *ae* ad perpendicularem *eo*; aſſumpta communi altitudine *ai*, erit quoque ita rectangulum *ae* in *ai* ad rectangulum *eo* in *ai* quod eſt ipſius trianguli duplum, ut hic

24 *ae*

Radius ſin. 60 gr. ita 30 *ai* ad *eo* in *ai* 623 $\frac{5382}{10000}$
10000000 8660234 720
ſive 623 decemp. quadrat. 53 pedes quadr. 82 dig.
quadr. dec. ped. dig.
cujus dimidium 311, 76, 91, ipſam aream exprimunt.

II. PROBLEMA.

Datâ trianguli baſe, angulo adjacente, & areâ invenire reliqua latera.



IN triangulo *bad*, detur baſis *bd* 24 decemp. angulus *abd* 42 gr. 30 ſcr. & area ipſius 140 decemp. quærantur vero latera ſingula, *ba*, *ad*; Itaque diviſâ areâ 140 decemp. per dimidiam baſin 12, venit perpendicularis *ac* 11 decemp. 6 ped. 6 dig. & cum detur angulus

angulus *abc* in triang. rectangulo *bca* innoteſcit quoque angulus *bac* 47 gr.30 ſcr. eritque per prop. 9 lib.2.

ut radius	ad ſecant.ang.	ita perpen.	ad latus *ba*;
10000000	*bac*	*ac*	17.2.6.
	14801872	11.6.6,	

ſive decemped. 17. ped.2. dig.6.

Latus *ad* invenietur per 4 conſ. 14 prop.lib.2. ex datis *bd*, *ba* & angulo ad *b*; hoc modo

ut radius,	ad ſinum verſum	ita duplum rect.
10000000	anguli *b*,	crurum,
	2627227	8284800

Ad exceſſum quo quadr. baſis *ad*, excedit quad. diff. crurum 2176605:

huic igitur ſi addatur quadratum differentiæ crurum 674, venit quadr.baſis *ad* 2177279 atque ideo ipſum latus *ad* erit 1494 ſeu 14 dec. 9 ped. 4 dig. Potuiſſet etiam alia ratione inveniri ſegmentum *bc*, nempe ex dati anguli *bac* tangente; eoque à *bd* ablato, reliquum ſegmentum *cd*, & inde per 47 prop. 1 Euclidis, utrumque latus *ba*, *ad*. concludi, ſed hæc via facilior eſt. Et tamen abſque perpendiculari, latus *ba* ſic invenies,

ut ſinus totus	ad ſecantem	ita duplum areæ
10000000	ang. *bac*	trianguli,
	14801872	280


Ad rectangulum ſub cruribus *ba*,*bd*, $414\frac{45}{100}$

Quo diviſo per latus *bd* veniunt ut ante pro latere *ba* 17. 2. 6. Ratio petenda eſt ex conſ. problem. 1: nam aſſumtâ communi altitudine *bd*, rectangula ſub *ba* in *bd*, & *ac* in *bd*, ſunt inter ſe ut baſes *ac* & *ab* hoc eſt ut radius ad ſecantem anguli *bac*; rectangulum autem *ac* in *ab*, eſt duplum areæ trianguli propoſiti ut cuique manifeſtum eſt.

III. PRO-

III. PROBLEMA.

Datis quadranguli lateribus, & angulo uno, aream invenire.



SIt in propoſito diagrammate *ae* 54, *eo* 32, *oi* 46, *ia* 28 decempedarum, angulus *iae* 67 gr. 30 ſcr. ut ex his datis area inveniatur, ea nobis vel ex ſolâ diagonio, vel ex perpendicularibus *iu ey* venit inveſtiganda. Et primum quidem ex diagonio *ie* per propoſ. 14. lib. 2 hoc modo,

ut ſinus totus, ad ſinum comp. ang. *a* 67 gr. 30 ſcr.
10000000 3826834
Ita duplex rectang. ſub cruribus *ai ae*. 30240000
ad 11572346, differentiã ſcilicet inter quadrata crurum & quadr. baſis; cumque hic angulus datus exiſtat acutus, dematur à quadratis crurum 37000000 reliquum igitur 25427654 erit quadratum baſis, cujus latus eſt $50\frac{42}{100}$ ſive 50 decemp. 4 ped. 2 dig. hoc modo 50. 4. 2. pro *ei*. Atque hinc datis lateribus tribus in utroque triangulo reliqua inveniantur: certè trianguli *eoi* area invenietur ex collectorum laterum dimidio & differentijs, per elem. 9 lib. 12 P. Rami, ſic

eo, 32.0.0.
oi, 46.0.0.
ie, 50.4.2.
ſumma 128.4.2.
dimid. 6421

6421 dimid.
3200. 4600. 5042.
reliqui
3221. 1821. 1379

factus

factus continuè à dimidio & reliquis erit 51935886974519. cujus latus 7206655. dig. quadrati, erit area trianguli, nempe 720 decemp. 66 ped. 55 dig. Potuiſti hic neglectis initio digitis aream minoribus numeris invenire, ſed iſti pauculos pedes quadratos in vitium traxiſſent.

Quamobrem in minoribus forſan hic expediet invenire angulum *ioe*, quod hoc caſu peropportunè abſolvetur per modum ſecundum prop. 12 lib. 2. Cum enim detur ſuprà quadratum baſis *ei* 25427654 hujus à crurum *io oe* quadratis 31400060 differentia eſt 5972346; duplum rectangulum ſub cruribus *io oe* eſt 29440000, Erit itaque

ut duplum rect. crur. *oe*, *oi*,	Ad differ. inter, quad. crur. & baſis	ita ſinus totus
29440000	5972346	10000000

Ad ſinum 2031250 cui cedunt 11 gr. 43 ſcr. 11 ſec. & quia baſis quadratum, quadratis crurum minus eſt, angulus *o* erit acutus: quare ipſe datur 78 grad. 16 min. 49 ſec. hinc itaque in triangulo rectangulo *eyo* datâ baſi *eo* 32; & angulo ad *o* 78 gr. 16 min. 49 ſec. dabitur per conſ. prop. 2. lib. 2. perpendicularis *ey*

ut ſinus totus,	ad ſinum ang, *o*,	ita *oe*,	ad *ey*
10000000.	9791527	32.0.0.	$3133\frac{2816}{10000}$


quæ per dimidium lateris *oi*, 23 multiplicata dabit aream triang. *ico* 720 decemp. 65 ped. quæ quantitas ob lubricitatē calculi à ſuperiori paulũ differt.

Porro area reliqui trianguli *iae* eadem via dabitur 698 decemp. 39 ped. 19 dig. aut inventa perpendiculari *iu*, $25\frac{8686}{10000}$ per tabulas ſinuum, eâque in dimidiam baſin *ae* 27 multiplicatâ, erit eadem area, 698 decemp. 45 ped. 20 dig. Quamobrem totius trapezij area erit aut 1419 dec. 5 ped. 74 dig. aut

aut per calculum poſteriorem 1419 dec. 10 ped. 29 dig. quadratorum, accuratiorem conſenſum ſi quis requirat, is calculum ſubducat alijs ſuppoſitis lateribus, nobis viam ſaltem monſtraſſe jam ſufficiet.

IV. PROBLEMA.

Duorum locorum in quorum altero, vel ſaltem uſpiam in rectâ ea connectente ſtatio detur, diſtantiam invenire.



SIT diſtantia menſuranda, *ai*, & in *a* detur mihi ſtatio, unde liberè quocunque angulo poſſim diſcedere. Itaque cruce metatoriâ quam tetrantem vocant, angulum rectum conſtituam *iae*, & aſſumptâ ſtatione ſecundâ in *ea* linea, in puncto *e*, obſervabo quantitatem anguli *aei* ut puta 67 grad. 45 ſcr. & dimenſus latus *ae*, id invenerim decemp. 105, pedum 4, hoc modo, 105.4. Itaque ſi *ae* fiat radius, *ai* erit tangens ang. *iea*, quare

ut rad.	ad tang. 67 gr. 45 ſcr.	ita *ae*	ad *ai*
100000	244433	105.4.	257.6.

erit itaque *ai* 257. decemp. 6 ped.

At ſi non in altero limite, ſed intermedio diſtantiæ menſurandæ loco, ſtatio tibi concedatur, ut ſi diſtantia ſit *oi*, ergo eodem modo ut ante, primum invenies *ai*, & tum *ao*, quæ ſegmenta in unam ſummam conflata, dabunt totam *io*.

Secandò

Secundò ſi angulus non ſit arbitrij tui, ad *a* mediocriter acutum ſi liceat eligito ut hic, eumque obſervato, qui nobis ſit *iae* 77 gr. 9 ſcr. & *aei* 45 gr. 21 ſcr. & *ae* 1092 dec. 3 ped. hinc adeo dati duo anguli *a* & *e*, deducti de 180 gr. ſeu duobus rectis, relinquent tertium, *aie* 57 gr. 30 ſcr. ideoque per propoſ. 4. lib. 2.

ut ſin. ang. *i*, 57 gr. 30 ſcr.	ad latus oppoſ. *ae*
84339	1092.3.
ita ſin. ang. *e*, 45 gr. 21 ſcr.	ad latus oppoſ. *ai*
71141	921.4.

Tertiò, ſi intrà terminos *oi* ſtatio *a* detur, eodem modo obſervato angulo *aeo* 50 gr. 30 ſcr. datoque ang. *eao* reſiduo ſcil. *iae*, 102 gr. 51 ſcr. & proinde etiam *aoe*, 26 gr. 39 ſcr. concludetur longitudo *ao* 1878.9. quæ ambæ in unam ſummam conflatæ, dabunt quæſitam *oi*, 2800.3. at ſi extrà lineam, & tamen in directum terminorum *oi*, ſtatio detur ut hic in fig. quartâ, loco *a*, tum *ao* erit de *ai* ſubducenda, ut relinquatur *oi*; cæterum variari poteſt hoc problema, angulo quocunq; conceſſo, modo detur intervallum ſtationum legittimum, & alia quæ ſine ulla difficultate cuivis in praxi facile obvia ſunt.

V. PROBLEMA.

Angulo in uno menſurandi intervalli termino dato, ſtationis diſtantiam in hoc crure invenire quæ ad propoſitum intervallum rationem habeat datam.



SI latus ſtationis *ae* cum intervallo *ai* comprehendat angulum rectum, tum ſi *ae* fiat radius, *ai* erit tangens atque ideo cum angulus *iea* 45 gr.

45 gr. erit, *ae* & *ai* æquabuntur; unde ſi ipſam *ae* dimenſus fueris, etiam *ai* dabitur: hac via Pyramidum in Ægypto altitudinem, ſed per elevationem ſolis & umbram Thaletem dimenſum, autor eſt Plutarchus in convivio ſeptem ſapientum.

Secundò ex iiſdem tabulis tangentium liquet, aſſumpto angulo *iea* 56 gr. 19 ſcr. *ai* ut proxime eſſe ſeſquialteram ipſius *ae*.

Tertiò cum *iea* aſſumetur 63 gr. 26 ſcr. tum *ai* eſſe duplam *ae*.

Quartò cum *iea* aſſumetur 68 gr. 12 ſcr. tum *ai* eſſe ipſius *ae* duplam ſeſquialteram.

Quintò cum 71 gr. 34 ſcr. tum *ai* eſſe ipſius *ae* triplam; cum 74 gr. 3 ſcr. tum *ai* eſſe ipſius *ae* ut proximè triplam ſeſquialteram. atque ita porrò; numeri quidem has rationes non accurate exprimunt attamen quandoquidem in ſcr. primis ſubſiſtitur ſufficit eos in calculum adhibere, aut etiam ad minores terminos revocare.

At ſi angulus detur acutus vel obtuſus, ut in exemplo ſi *iae* detur gr. 60. tum hoc caſu *aei* itidem erit 60 gr. atque ideo latera *ae*, *ai* erunt æqualia, quia anguli ad baſin *ei* inter ſe æquales ſunt. Verum poſtuletur ut *ai* ſit ipſius *ae* dupla, angulo ad *a* manente grad. 60. hic jam cum per 3 propoſ. lib. 2. latera ſinibus oppoſitorum angulorum ſint proportionalia; dabitur ratio ſinuum qui pertinent ad angulos *e* & *i*, dataque eorundem ſumma, quæ eſt 120 gr. dati ang. *a* 50 gr. reſiduum ad ſemicirculum; per prop. 13 lib. 2. ſinguli dari poſſunt, ut hic quia ratio datur dupla, erit

ut 3 ad 1 ita tang. dimid. 120 ad tang. dimid. diff.
nempe 60 gr. 57735
173205

cui competunt gr. 30, unde angulus major datur 90, minor


minor 30 gr. Quamobrem cum *eai* erit 60 gr. ſi eouſque procedas ut *aci* ſit 90 gr. *ai* erit dupla inventæ baſeos *ae*, quia poſito *ae* radio, *ai* eſt ſecans anguli *a*.

Si *aei* ſit 79 gr. 6 ſcr. tum *ai* ſinus ang. *e*, erit in ſeſquialtera ratione ad *ae* ſinum anguli *i*, & rurſum manente eodem ang. *a* 60 gr. ſi *aei* ſit 96 gr. 35 ſcr. tum *ai* erit dupla ſeſquialtera ad *ae*.

Cum vero *aei* erit 100 gr. 54 ſcr. tum *ai* erit tripla *ae*, ut proximè. Atque hinc quoad lubebit, ſub quocunque angulo dato hanc rationem licebit explicare, unde gnavus & induſtrius Geodæta, multa ſuo uſui, & compendio derivare poterit.

VI. Problema.

Duorum locorum, in quorum neutro ſtatio conceditur, dato ſolummodo alibi ſtationum duarum intervallo, diſtantiam invenire.



Sint data duo loca in primo diagrammate *cd*, ſtationes duæ alibi extrà lineam quæ illa connectit, in *a* & *b*, diſtantiâ 244 decempedarum, 6 pedum, ſic 244.6. obſervatis angulis *dba* 36 gr. 15 ſcr. *dab*, 124 gr. 20 ſcr. Item *cab* 40 gr. 49 ſcr. & *abc* 112 gr. 30 ſcr. Inveſtigabitur linea *cd* hoc modo: Primo in triangulo *dab* datis duobus angulis, dabitur tertius *adb* 19 gr. 25 ſcr. datoq; latere *ab*, erit per prop. 6 lib. 2.

 ut

ut ſinus ang. *d*, ad latus *ab*, ita ſinus ang. *dba*
3324355 244.6. 5913096
ad latus *da* & ita ſinus ang. *dab*. ad latus *db*
435.4. 8257703 607.5.

Secundò, in triangulo *abc*, datis angulis *cab* 40 gr. 49 ſcr. & *abc* 112 gr. 30 ſcr. dabitur tertius *acb* 26 gr. 41 ſcr. ideoque erit, per eandem prop.

ut ſinus ang. *c* ad latus *ab* ita ſinus ang. *cab*.
4490591 244.6. 6536408
ad latus *bc* & ſinus ang. *abc* ad latus *ac*.
356.0. 9238795 503.2.

His peractis aſſumam unum ex duobus triangulis, *dac* vel *dbc*, in quibus datis duobus lateribus, cum ang. ab ipſis comprehenſo, dabitur tertium *dc* quod quæritur; itaque aſſumpto triangulo *dac*, ſubtraho ang. *cab* ſuperius expreſſum 40 gr. 49 ſcr. ab angulo *dab* 124 gr. 20 ſcr. & venit angulus *dac* 83 gr. 31 ſcr. unde per propoſ. 14 lib. 2. conſ. 3. erit

ut ſinus totus ad ſinum compl. ang. dati *a*
10000000 1129142
ita duplex rectang. ſub cruribus, *da ac* ad diff. inter quadrata crurum & baſis, *dc*.
43818656 4947748

& quia angulus datus acutus eſt, ſubtrahatur hæc differentia à quadratis crurum 44278340, reſiduum erit quadratum baſis 39330592, cujus radix 6271 eſt ipſa quantitas baſis *dc* quæſitę nempe 627 decemp. 1 pedis.

Eandem prorſus quantitatem nobis exhibet 4 conſ. ejuſdem propoſ. ſi namque fiat

ut radius ad ſinum verſum ang. *a* ita duplex rectang. crurum
10000000 8870858 43818656

ad ex-

ad exceſſum quo quadr. baſis excedit quad. differentiæ crurum 38870907 & huic addatur quadratum differentiæ crurum 678 ſcilicet 459684, proveniet baſis quadratum 39330591 cujus radix ut ante eſt ipſa baſis. Si alicui jam porrò libeat, eandem *dc* inveſtigare beneficio triang. *dbc*, is auferat angulum *abd* ab angulo *abc* & in cæteris eandem inſiſtat viam, aut per prop. 13 lib. 2. inveniat primo angulos ſingulos in triangulo *dac*, ſcilicet & *adc* & *dca*, poſtea per prop. 5. ejuſdem beneficio ſinuum facile innoteſcet baſis *dc*.

Secundo ſi ſtationes quidem dentur ad *a* & *b*; *dc* vero diſtantia quærenda, in directum ita objiciatur, ut ſtanti in alterutro termino *a* aut *b*, uterque locus ſit à parte eadem, dextrâ aut ſiniſtrâ, tunc obſervatis angulis *dab* & *dba*, item *cab* & *cba*, inveſtigantur latera *ad* & *db*, *ac* & *bc*, quibus habitis, ſi alteruter angulorum priorum, ab horum alterutro ſubtrahatur, ſcilicet *dab* à *cab*, vel *dba* à *cba*, dabuntur in triangulo *cdb* vel *cda*, duo latera cum ang. ab ipſis comprehenſo, unde tertium facile inveniri poterit, oſtendens diſtantiam locorum quæſitam.

Exempli gratia, ſi detur *ab* 244 decemp. 6 pedum, angulus *dab* 35 gr. 30 ſcr. *dba* 46 gr. 15 ſcr. dabitur hinc reliquus *adb* 98 grad. 15 ſcr. cujus ſinus 9896514. Fiat ergo

ut ſinus ang. *d*.	ad *ab*	ita ſinus *a*,	ad *db*,
9896514	244.6	5830687	146.1.
& ſinus *b*.		ad latus *ad*.	
7223640		178.5.	

Deinde ſi detur angulus *cab* 56 gr. 42 ſcr. & *cba* 63 gr. 51 ſcr. dabitur tertius *acb* 59 gr. 27 ſcr. unde erit iterum


G 3 ut ſi-


ut ſinus *acb*, ad *ab*, ita ſinus *cab*, ad *bc* & ſinus *cba*
8611859 244.6. 8358074 237.3 8976433
ad latus *ca*. 254.9.

Porro ſubtrahatur angulus *dab* ab angulo *cab*, vel angulus *dba* ab ang. *cba* & manebit *cad* 21 gr. 12 ſcr. & *cbd* 17 gr. 36 ſcr. nos tantum ſumemus nunc triangulum *cad*, in quo datur angulus ad *a*, cum duobus lateribus ipſum comprehendentibus, *ca* 2549. & *da* 1785. erit ergo

ut ſinus totus, ad ſinum compl. anguli *a*.
10000000 9323238
ita duplum rectang. ad differ. inter quad. crur.
crurum, & quad. baſis
9099930 848081,

hanc ſi auferas à quadratis crurum 9683626, quia angulus datus eſt acutus, manebit quadratum baſis 1199545, cujus radix oſtendit baſin ipſam *cd*; diſtantiam ſcilicet duorum locorum quæſitam 109 decemp. 5 pedum.





Tertiò ſi ſtationes dentur ab utraque parte lineæ *cd*, ita ut *ba* candem interſecet; tunc quidem ſi detur acceſſus in *e*, utere probl. 4. in triangulo alterutro *cea* vel *ceb*, & *aed* aut *bed*: Sin vero acceſſus denegetur, ſed intervallum ſtationum aliunde (puta per obſervationem) ſit notum; tunc obſervatis angulis *cab*, *bad*, item *cba*, *abd*, inveſtigabis primo quantitatem linearum *ad*, *ac* vel *bd*, *bc*; Deinde verò in triangulo *cbd* vel *cad* ex datis duobus lateribus & angulo ab ipſis comprehenſo, concludes

cludes *cd* ſicut in præcedentibus. Nos unico duntaxat exemplo rem illuſtrabimus: ſint obſervati anguli, *cab* 62 gr. 25 ſcr. *bad* 23 gr. 12 ſcr. Item *cba* 68 gr. 36 ſcr. *abd* 40 gr. 29 ſcr. jam in triangulo *acb* invento tertio angulo ad *c* 48 gr. 59 ſcr. Fiat

ut ſin. ang. *c*, ad latus *ab*, ita ſin. ang. *b*, ad latus *ca*
7545187 244.6. 9310558 252.9.

In triangulo vero *adb*, datis angulis ad *a* & *b*, invenitur tertius ad *d*, 116 gr. 19 ſcr. erit itaque

ut ſinus ang. *d*, ad *ab* ita ſinus ang. *b*, ad latus *ad*
8963575 244.6. 6492268 178.1.

Denique pro invenienda baſi *cd*, in triang. *cad*, Fiat

ut ſinus totus, ad ſinum comp. ang. *a*, 85 gr. 37 ſcr.
10000000 764290
ita duplum rect. crurum, *ac*, *ad*. ad diff. inter quadr. crurum & baſis,
9008298 688495,

ſumma quadratorum crurum eſt 9567802 unde præcedens differentia deducta quia ang. *a* eſt acutus, dat quadratum baſis 8879307, & proinde ipſam diſtantiam *cd* 297 decemp. 9 pedum.

Quartò ſi intervallum ſtationum ab unâ tantum parte lineæ quæ duo loca menſuranda connectit, concedatur, ut *ab*; tum obſervatis angulis *cba*, & *abd*; item *dab* & *cab*, in utroque iſto triangulo colliguntur crura *ca* & *da*, ideoque dato angulo *cad*, dabitur baſis *cd* ut ante. Potuiſſem quidem hic ſubſiſtere & in præcedentibus exempla calculi omiſiſſe, ne inutilis videretur περιεργία, quippe in omnibus eiſdem utendum eſt propoſitionibus, attamen ut rudioribus hanc viam præeam, etiam hoc poſtremum exemplum numeris ſubducam: eſto ergo *ab* ut ante 244.6. angulus *cba* 36 grad. 45 ſcr. & *abd* 29 gr. 32 ſcr. Item angulus *cab* 119 gr. 23 ſcr.

& *dab* 138 grad. 50 ſcr. jam in triangulo *cab* datis duobus angulis ad *a* & *b*, dabitur tertius ad *c* 23 gr. 52 ſcr. eritque

ut ſin.ang.*c*,	ad latus *ab*,	ita ſin.ang.*b*,	ad latus *ad*.
4046096	244.6.	5983246	361 7.

Deinde in triangulo *dab*, datis duobus angulis ad *a* & *b*, dabitur tertius ad *d* 11 gr. 38 ſcr. Atque ideo erit

ut ſin.ang.*d*,	ad latus *ab*,	ita ſin.ang.*b*.	ad latus *ad*.
2016478	244.6.	4929298	597.9.

Denique ſubtracto utroque angulo *cab* & *dab* à toto circulo dabitur angulus *cad* 101 gr. 47 ſcr. ideoque datis lateribus *ac* & *ad* erit

ut radius,	ad ſin.compl.ang. dati	ita duplex rect. crurum.
10000000	2042113	43252086

ad differ. inter quad. crurum & baſis.
8832564


Hæc differentia addita ad quadrata crurum 48831130, quia ang. *cad* obtuſus eſt, dat quadratum baſis 57663694, cujus radix 759. decemp. 3 ped. eſt ipſa diſtantia *cd* quam quærebamus; Poſſet idem perfici beneficio anguli *cbd* & laterum *cb*, *bd*, quæ ſeorſim ut ſuprà *ca* & *ad* facile invenirentur; ſed tollo nunc manum de tabula, prius tamen monendum ratus, baſin *ab* in omni caſu ſi fieri poſſit, aſſumendam ſatis magnam, ne anguli ad *c* & *d*, nimis acuti evadant: ob hanc enim cauſam facilis eſt lapſus, cum error ex minori termino, tandem in majoribus multiplici calculo ſenſibiliter augeatur, idque eo magis ſi non uſque adeo magno utaris inſtrumento in dimetiendis angulis.

VII. PRO-

VII. PROBLEMA.

Altitudinem rei inacceſſæ dimetiri, conceſſis duabus ſtationibus liberis in ſuperficie plana, cui res menſuranda perpendiculariter inſiſtit.

SUPERFICIEM planam voco, quæ nullis collibus aut aſperitatibus extollitur, ſed æqualiſſima eſt, adeo ut exactè menſurari poſſit linea recta inter utramque ſtationẽ interjecta; quæ alioqui per calculum aliunde inveſtigari deberet, poſitis baculis ſupra aſperitates extantibus, ſicut hæc experiunti ad oculum facillimè apparent. In tali ergo ſuperficie *ge*, ſumptæ ſint duæ ſtationes *g* & *f* inter ſe diſtantes 20 decemp. & ſit rei menſurandæ altitudo *ae*; ſtationibus *g* & *f* infigantur baculi *bg cf* ex quibus ſuſpenſo inſtrumento pari altitudine, obſervatus ſit angulus *acd* 32 gr. 20 ſcr. & *abd* 26 gr. 35 ſcr. & ſublato ang. *abd*, ab angulo *acd*, detur *bac* 5 gr. 45 ſcr. Erit itaque per prop. 6 lib. 2. in triangulo *bca*,



ut ſin. ang. *a*	ad latus *bc*,	ita ſin. ang. *b*,	ad latus *ac*
1001881	20 dec.	4474990	80 dec. 5

ped. 3 dig. Et iterum per propoſ. 2 lib. 2.

ut radius,	ad ſinum ang. *acd*	ita *ac*,	ad, *ad*,
10000000	5348440,	89.3.3.	47.7.7.

Cui ſi addatur altitudo baculi, ſeu *de* 5 ped. venit altitudo quæſita *ae* 48 decemp. 2 ped. 7 dig. eadem

dem opera ex *ac* & angulo *cad*, colliges *cd* diſtantiam perpendiculi *ae* à proximâ ſtatione, ſi quidem id expetes ; quod aliquando ſuo uſu non caret. Aliter vulgo hoc fieri ſolet per tangentes; cum enim dentur anguli *acd abd*, dabuntur quoque *cad*, *bad*, quorum tangentes ſunt *dc db*, & differentia *bc*; ergo ut differentia tangentium, ad radium, ita intervallum ſtationum *bc*, ad altitudinem *ad*, cui ſemper addenda eſt *cf* ſeu *de*, altitudo baculi.

Eadem & ſimili plane praxi, ſimul & eodem tempore per duos menſores, dimetiemur altitudinem alicujus nubis, modo ea lenti motus ſit, & evidentem in extremitatibus ſortiatur denſitatem; nam in medium ejus viſus non poteſt bene dirigi ſine errore, quem etiamnum vix effugiet is, qui non omni induſtriâ & circumſpectè rem aggreditur: Exemplum unum addam ob diligentiam fide dignum, 8 Iulij ſtylo novo anni hujus 1627, vento boreali, obſervavimus altitudinem nubis cujuſdam, ad votum diſtinctæ & lenti motus; fuitque inventus angulus *abd* 31 gr. 40 ſcr. *acd* 38 gr. 30 ſcr. intervallum autem ſtationum aſſumptarum fuit 1680 pedum Rhijnlandicorum in campo plano; ex his igitur dato ang. *bac* 6 gr. 50 ſcr. erit per eandem prop. lib. 2.


ut ſinus *bac*,	ad *bc*,	ita ſinus *abc*,	ad *ac*
1189816	1680	5249766	7412.

& rurſus

ut radius,	ad ſinum ang. *acd*,	Ita *ac*	ad *ad*
10000000	6225146	7412	4614

Huic ſi addas altit. *cf* 6 ped. provenit altitudo nubis 4620 pedum, qualium 12 faciunt decempedam hactenus uſurpatam: quod certâ de cauſâ fecimus; cum

cum namque in milliari germanico, quorum 15 uni gradui circ. maximi in terra reſpondent, ſint pedes 22800, aſſurgit iſta altitudo ad $\frac{1}{5}$ unius milliaris & paulo amplius; in milliaribus autem Hollandicis cum ſint pedes 18000 erit altitudo iſta $\frac{1}{4}$ mill. & 120 circiter pedum.



Verumenimvero ſi res menſuranda ita ſita ſit, ut nullo modo baſis inter duas ſtationes, tendere poſſit in directum perpendiculi, ſed eandem tranſverſim aſſumere liceat ad libitum; tum inſtrumento ita inclinato (in præſenti diagrammate) ut reſpondeat plano trianguli *abe* hoc eſt ut per dioptras ſimul intueri poſſis rei menſurandæ cacumen *b*, & alteram ſtationem *a*, dimetire primò angulum *aeb*, qui hoc caſu detur 57 gr. 30 ſcr. inde ſimili modo angulum *bae*, qui ſit 69 gr. 42 ſcr. & tunc datâ baſi *ae* 30 decemp. cum tertio angulo *abe* 52 gr. 48 ſcr. dic ut ſuprà

ut ſinus ang. *b*.	ad latus *ae*,	ita ſinus ang. *a*,
7965299	30 dec.	9378889

ad latus *be* 35 dec. 3 ped. 2 dig.

habitoque latere *be*, ſume quadrantem Aſtron. cum perpendiculo, & per inſtrumenti dioptras quæ in *b* reſpiciunt, accipe ang. *bec*, ſeu altit. ſupra horizontem qui hic ſit 24 gr. 15 ſcr. & cum *bce* rectus ſit, dic iterum ut ſuprà

ut radius,	ad ſinum ang. *bec*	ita *be*	ad *bc*
10000000	4107188	35.3.2.	14.5.0.

eique adde altit. baculi pro *cd* 5 ped. veniet vera rei altitudo *bd* 15 decempedarum.


Iucunda & utilis ſane hæc praxis eſt, cum in menſurandis altitud. turrium aut ædificiorum, raro baſis in directum concedatur. Si tamen in nubibus hanc adhibere velis, ſcias ante omnia diligentem te eſſe oportere, nubemque tardiſſimi motus: nam iſtic omnia momento exæquenda ipſe expertus, ſæpe fruſtra fui, ni prius inſtrumenti planum ad certam aliquam inclinationem collocaſſem, quod imitari poteris: in turribus enim alia res eſt, utpote quæ uni loco inhærentes, ſpatium accuratè omnia adminiſtrandi concedunt. Non invitus etiam hoc moneo, ſi vulgaribus utaris inſtrumentis baculo plane affixis, ipſum baculum eſſe inclinandum atque ita majores moleſtias objici; & propterea expedire, ut ad modum ſextantis Tychonici inſtrumentum præparetur quod immoto baculo facillime ad quodvis planum inclinari poſſit; ſimul etiam ut dioptræ non ſolis rimulis, ſed in medio parvo quoque foramine pertuſæ ſint, quo certius quadrante altitudinem rei per illa foramina accipias; Denique ut in menſurandis nubium altitud. baſis in terra planâ, accipiatur evidentis magnitudinis reſpectu linearum *be* & *bd*, ne ſcilicet angulus *abe* nimium acutus evadat, quod ſi fieri poteſt omnino præcavendum eſt.

VIII. PROBLEMA.

Altitudinem rei invenire per baſin datam in planitie verticali, non autem horizontali.

HACTENUS explicuimus modum menſurandi res ſublimes, per duas ſtationes in plano horizontali, nunc vero eandem explicare aggredimur datis

datis ſtationibus in plano verticali hoc eſt tali plano quod horizonti perpendiculare eſt, & in quo linea ſtationum in zenith incurrit; cujus quidem modi praxis omnes alias commoditate ſuperat, quippe ex ædificio, muro, turri, aut malo inſtitui quovis ſolo & cœlo poteſt, licet arbores, montes, aut quidvis aliud rem menſurandam penitus fere intercludant. Quapropter in diagrammate ſequenti ſit alt. menſuranda *ed*, prima ſtatio in *f*, inſtrumentum a. in *b*, & obſervato angulo *dbc* 40 gr. 32 ſcr. ſit ſecunda ſtatio in *a* ibique rurſus obſervato angulo quo linea *ad*, ſupra planum horiz. aſſurgit, addo ipſi 90 gradus ut habeam obtuſum *dab*, aut ſumo ejus complementum ut habeam exteriorem ad *a*, qui nunc ſit 62 gr. 54 ſcr. ex obtuſo itaque, aut exteriore hoc angulo, & dato *dbc*, inquiro ang. *adb* qui hic eſt 13 gr. 16 ſcr. Deinde menſurato ſtationum intervallo 16 decemp. Dico per prop. 6 lib. 2.



ut ſinus ang. *adb*. ad *ab*, ita ſinus ang. *dab* vel ejus
13 gr. 26 ſcr. 16 decemp. reſidui 62 gr. 54 ſcr.
2323138 8902128
ad latus *bd* 61 dec. 3 ped. 1 dig.

& rurſus per prop. 2 lib. 2.

ut radius ad ſin. ang. *dbc* 40 gr. 32 ſcr. ita latus *bd*,
10000000 6498803 61.3.1.
ad *dc* 39.8.4.

Cui ſi addatur altitudo inſtrumenti pro *ce*, 5 ped. venit alt. quæſita 40 decemp. 3 ped. 4 dig. Et hæc ſunt problemata quæ Trigonometriæ planorū Claviſſ. D. SNELLII ſubjungere viſum fuit, in quibus ſi non

ſi non omnium, præcipuarum ſaltem propoſ. uſus elucеſcit, neque enim animus fuit univerſam percurrere Geodæſiam, cum pleraq; problemata adeo facilia ſint ut bene intellectis propoſ. tang. & ſecantium, quivis ea ad praxin revocare poſſit, itaque optandum mihi reſtat, ut tu modo benigne Lector tali animo hæc excipias, quali à me offeruntur, & ſtudiis noſtris juvenilibus favens ſtimulos addas, ad majora ſuo tempore Deo dante progrediendi.

FINIS.

DOCTRI-

DOCTRINÆ TRIANGVLORVM CANONICÆ,

Liber Tertivs.

De Triplevris *ſphæricis.*

AD Tripleurorum ſphæricorum doctrinam, quædam è generaliori ſphæricæ doctrinæ theorijs nobis ſunt repetenda, ut eorum uſus ſit in promptu: Nam illa, Si ſphæra plano ſecetur, communem ſectionem eſſe circulum; & præterea de maximis circulis, eos & ſe mutuo, & ſphæram biſecare; minores non item, nimis operoſum, ne dicam ineptum ſit hic referre: Sed tamen iſtud quod ſequitur primum nobis obtineat locum, quia in laterum & angulorum permutatione, & horum etiam dimenſione uſum habet ſingularem.

I. Propositio.


Maximus circulus maximi quadrantis intervallo in ſphæra deſcribitur, è 16 & 17. l. 1. Theod.

Concipiatvr enim diametro ſphæræ maximus circulus per ſphæræ centrum perpendicularis; itaque omnes in illo plano rectæ per centrum eductæ primæ diametro erunt perpendiculares

res & æquales; atque ideo earum ſemiſſes: & cum ad angulos rectos ſint, ſubtenſæ ab apice primæ ad harum terminos, æquales lateri inſcripti quadrati, & peripheriæ ergo ab his ſubtenſæ quadranti maximi circuli æquales erunt.

II. Propositio.

Si è quatuor punctis, duobus nempe polis, centro ſphæræ, centro circuli, recta linea duo qualibet connectat, ea per reliqua duo puncta ſuo circulo normalis tranſibit. Et, ſi recta ſubiecto circulo normalis per unum horum punctorum tranſeat, per reliqua quoque tranſibit. è 2.7.8.9.10. Theodoſij & earum corollarijs.



In ſphæra *euiy*, cujus centrum *a*, eſto circulus *urys*, cujus centrum *o*, & poli *e i*. ajo primum, rectam quæ *a* & *o* centra connectit, in priore diagrammate per *e i* polos tranſire ſubjecto circulo *urys* perpendicularem: cum enim radij ſphæræ *au ay*, *uo oy* radij circuli æquales ſint, & *ao* communis, triangula *aou*, *aoy*, erunt æquiangula & *aou aoy* anguli deinceps recti: eandem ob cauſam *aor aos* recti erunt, & ideo *ao* perpendicularis ſubjecto circulo. cum igitur *eo* ſit perpendicularis centro circuli *o*, omnes rectæ ab *e* ad peripheriam æquales erunt, res eadem eſt de puncto *i*. Si *e* & *i* poli connectantur, ergo *ei* diameter & per *a* ſphæræ centrum tranſit;

ſit; & perpendicularis quidem eſt plano quia ob inſcriptas *eu ui*, æquales inſcriptis *ey yi*; *eo* perpendicularis eſt ipſi *uy*, & ob eandem cauſam ipſi *rs*; atque ideo in communi ſectione perpendiculares: quare triangula, *ueo reo yeo* æquilatera, & *o* punctum, circuli centrum.

Res eadem erit ſi ſphæræ centrum cum polo connectas, quia per reliquum polum quoque diameter tranſit; At ſi polum cum centro circuli connectas, tum eadem perpendicularis erit circulo ob æqualitatem à polo ad peripheriam ſubjectam, atque ideo parte oppoſita rectæ ad eandem peripheriam inter ſe erunt æquales. & ita fiet polus circuli alter, quare & per centrum ſphæræ tranſibit.

Converſa quoque haud operoſius demonſtratur: ſi enim à centro ſphæræ perpendicularis ſit *ao*, cadet in centrum circuli, quia radij ſphæræ ſunt æquales *au ar ay*, & *ao* perpendicularis communis, quare *ou or oy* æquales erunt, & *o* punctum ipſius circuli centrum, *ao* ſe in polos induet.

Nec difficilius erit evincere rectam à polo *e*, circulo perpendicularem, in ejus centrum incidere, & propterea per directam partem in reliqua duo puncta ſe induere.

Itaque

III. PROPOSITIO.

Si maximus ſphæra circulus tranſeat per alicuius polos, eidem normalis eſt: & contra.

NAM in eodem diagrammate *euiy* circulus maximus tranſeat per polos minoris *urys*, in eius igitur plano eſt *ei* axis circuli ſubjecti *uys*. atqui ille per antecedentem ei perpendicularis, quare & circulus

culus per eum eductus. converſa ex antecedentis converſa quoque eſt manifeſta.

Itaque

I. Poli cujuſque circuli ſunt in concurſu maximorum circulorum eidem perpendicularium.

Cauſa ex antecedente eſt manifeſta, nec demonſtratione indiget: nam ſi ſinguli normales per polos tranſeant, in eorum itaque concurſu polos eſſe utique neceſſum eſt. Sed & iſtud accedat, quia facile, & noſtris demonſtrationibus oportunum eſt.

Et


II. Si duo maximi circuli eidem maximo intra ſemiperipheriam inſiſtentes, angulos obtuſos cum eo comprehendant, diſtantia concurſus eorum à ſubjecto eſt major quadrante: ſi acutos, minor.

Nam ſi rectè inſiſtant concurrent in ipſo polo, ergo ſi uterque major ſit, vel alter rectus, reliquus obtuſus, ultra polum eorum concurſus excurret: ſin uterque acutus vel alter rectus reliquus acutus, citra. atque ideo illic erunt peripheriæ majores, hic minores.

IV. PROPOSITIO.

E maximarum peripheriarum ſegmentis, in ſphæræ ſuperficie ab eadem data peripheriæ parte, ad ipſam à puncto quod ab ipſius polo diverſum ſit eductarum, quod per polum educitur eſt maximum; reliquum maximæ minimū; maximæq; propius maius remotiore; & angulus à ductis & ſubiecta comprehenſus quâ minimum ſegmentum ſpectat eſt acutus; qua maximum obtuſus; & contra.

HOc analogia circulo plane reſpondet, neque prout inſtituimus, operoſiore multò demonſtratione



ſtratione opus habet: Sit enim circuli *euyi*, polus *a* & punctum datum *o*. Hinc peripheriæ ſunto ab *o* per polum *a*, *oae* & reliquum ejus *oi*; item ordine *ou*,*oy*; ajo *oae* eſſe maximam, *oi* minimam, *ou*,*oy*, ordine minores: cum enim *eaoi* maximus circulus per polos dati *eyi* tranſeat, eidem quoque erit perpendicularis: ſit itaque in ejus plano ſubjecto circulo perpendicularis *os*: cum ergo *se* quoque à puncto *s* non centro, per centrum tranſeat, *se* erit maxima omnium rectarum, *su*,*sy* ordine minores, & minima *si*. atque ideo rectæ ſubtenſæ *eo*, *uo*,*yo* ordine minores, minimaque omnium *oi*. atque ita parte altera *eri*, unicâ ſingulis intermediarum æquari poteſt. Secundũ membrum ſic patet, quia ſi ab *a* polo ducerentur peripheriæ, tum omnes eſſent ſubjectæ *euyi* normales, & ſegmenta ſemicirc. *ae*,*ai* quadrantes, ideoque anguli oppoſiti recti, jam vero cum maneat idem ſemicirc. *eai*, & crus *uo* vel *oy* non ſit normalis periph. *euyi*, quippe non ex polo ejus deſcendens, neque etiam ang. ad *u* aut *y* rectus eſſe poterit ſed obtuſus, reliquus autem *oui* vel *oyi* acutus reſiduum ſcilicet ang. *euo* vel *eyo*, ad ſemicirculum. Operoſius hæc ab aliis demonſtrantur, nos ſimplicitatem vitatis ambagibus conſectamur.

V. Propositio.

Tripleurum ſphæricum eſt quod à tribus maximorum circulorum peripherijs continetur.

Vides ex ipſa adeo definitione peripherias ſemicirculo æquales huic negotio ineptas eſſe, quia maximi circuli illic ſe mutuo biſecant, itaque tertio nullum hic eſſe locum; majores verò multo magis ſunt inidoneæ: ſin una ſemicirculo aſſumatur æqualis reliquæ ſimul majores, certe jam ex oppoſitis ad diametrum punctis, harum intervallo tantum paralleli deſcribentur circuli, neque uſpiam ſeſe interſecabunt. ſuper eſt itaque ut tertium latus quoque ſit ſemicirculo minus: nam ſi reliquum majus ſegmentum aſſumas, angulus verticis duobus rectis major eſſet. ut in antecedente diagrammate, ſi crura intelligas *io ou* & baſin *iyu*: tripleurum eſt ſphæricum; contra ſi ijſdem cruribus manentibus baſis aſſumatur *iru*, illud nobis in hunc cenſum non venit.

Itaque

I. *Tripleuri* duo quælibet latera reliquo ſunt majora. 6 pr. 1 Menelai.

Nam ſi tres anguli plani angulum ſolidum comprehendant, duo quilibet reliquo ſunt majores; quare etiam duæ peripheriæ, quibus iſti anguli in ſphæræ centro inſiſtunt, tertiâ erunt majores.

Et

II. *Tria* ſphærici tripleuri latera integro circulo ſunt minora. 7 pr. 1 Menelai.

Cum enim in antecedente diagrammate *eoi*, *eyi* peripheriæ ſint ſemicirculi, & in triangulo *oiy*, duo latera *oi* & *iy* ſint majora tertio *oy*, efficitur in triangulo

gulo *oey* tria latera *eo*,*ey*,*yo*,eſſe minora integro circulo; ſi enim æquarentur, tunc quia *eo* & *ey* communes ſunt ſemicirculis *eoi* & *eyi*, tertium latus *oy* reliquis ſegmentis *oi* & *iy* æquale eſſet, quod abſurdum.

VI. PROPOSITIO.

Angulus tripleuri ſpharici eſt planorum inclinationis angulus.

ANGVLVM inclinationis planorum acutum definit Euclides, nos pro angulo tripleuri, eum & acutum & rectum & obtuſum intelligimus: ita enim neceſſe eſt, & ſane ne Euclides ipſe quidem inclinationem linearum rectarum aliter adhibuit, quam pro angulo quocunque.

Itaque


I. *Peripheria* ex angulo tanquam polo, intervallo quadrantis maximi circuli deſcripta, eum menſurat.

Notum eſt ex elementis rectas duas communi ſectioni duorum planorum, in eodem puncto perpendiculares, anguli inclinationis quantitatem explicare. atqui circulus è communi ſectione tanquam polo deſcriptus, eorum utrique eſt perpendicularis per prop. 3. quare illorum communis ſectio huic plano, & rectis ipſis erit perpendicularis; hic igitur angulus explicabit quantitatem inclinationis planorum: ſed & hoc centrum eſt ſphæræ & maximorum circulorum, ea igitur maximi circuli peripheria menſura eſt propoſiti anguli ſphærici: potuit idem ob ſimilitudinem peripheriarum de quovis parallelo intelligi, ſed hoc ad captum videtur

explicatius, quia omnia ad maximorum circulorum menſuram hic referimus. ſed & huc etiam alterum accedat conſectarium Ptolomæo l. 1. c. 10 uſitatum, & à Theone ad eum locum demonſtratum.

Et.

II. *Poli* crurum anguli recti ſunt in ipſis cruribus, & quadrans eum metitur. In *obtuſo*, qui intrà cadunt ſunt ejus menſuræ reſiduum; vel unius intrà alterius extra cadentis poli diſtantia ipſa menſura. In *acuto* autem diſtantia polorum ab eadem eiuſdem cruris parte; polorum autem trans crura diſtantia, ejus reſiduo eſt æqualis.




Sunto in ſphæra *ieuo* cujus polus *a*, maximi circuli *eao*, *iau* comprehendentes angulum rectum *eai*; itaque *ei* erit menſura anguli ad *a* recti. Et *ei* per utriuſque polos tranſibit ipſis normalis per propoſitionem 3. quare in concurſu perpendicularium *ei ai* polus eſt cruris *ae*, per conſ. prop. 3. Et eandem ob cauſam erit *e* punctum polus cruris. Et ſi crura aſſumantur majora aut minora quadrante veritas tamen eſt eadem, ut è dictis facile perſpicitur.

Sit in ſecundo diagrammate angulus *eai* obtuſus, & ex *a* polo maximus circulus deſcriptus *ieuo*, is utrique cruri perpendicularis per eorum quoque polos tranſibit. Et *ei* menſura anguli obtuſi *eai* major erit quadrante. ſunto igitur *iy* & *es* quadrantes. quare *y* erit polus circuli *ai* per 3 & 1 propoſ. & *s* circuli *ae*, caduntque intra crura obtuſi anguli *eai*. Si igitur crus unum *ia* continuetur in *u*, erit *ieu* ſemicirculus, & *eu* reſiduum ipſius *ei*, & *yu* quadrans:

drans : ſed & *ſe* quadrans eſt : ſublato igitur communi *ey*,reliqua *ſy* reliquæ *eu* æqualis erit. cum igitur *ſy* ſit reſiduum obtuſi, *ſl* erit ipſa menſura, diſtantia à polo interno *ſ* ad externum *l*. pars peripheriæ ſemicirculo minor.

Si angulus datus ſit acutus ut *eau*,jam peripheria *eu* erit quadrante minor. & ideo polus *y* ultra *e* cadet in *y*. & polus cruris *ea* cadet ultra hunc in *ſ*, quadrantes igitur erunt *uy es*, ſublatoque communi *ey*, reliqua polorum diſtantia reliquæ *eu*,quæ eſt auguli dati menſura æqualis erit. Et ſi *er* itidem ſit quadrans diſtantia polorum trans crura utrimque *yr* erit ejus menſuræ reſiduum ad ſemicirculum.

III. *Tripleuri* ſphærici cruribus porrò & retrò continuatis,& angulus ad verticem, & oppoſitus eidem æquantur.



Sunto duo crura anguli in ſuperficie ſphæræ, *ſe*, *ie*, & *es* continuetur porro ultrà in *u*, & retro in *a*. ajo angulos ad verticem *ies*,*oeu* æquari,itemque oppoſitos *ies*, *ias* ; Si enim ex *e* vel *a* tanquam polo deſcribatur maximi circuli peripheria *iso*, erit utique *is* menſura anguli *ies*,itemque anguli *ias*, per conſ. 2 pr. 6. iſti igitur inter ſe æquales erunt ; ſed *ies*, *oeu*, ad verticem poſiti, ſiquidem *ſeo* utrilibet eorum additus, duos cum eo rectos impleat, ſublato communi etiam inter ſe æquales erunt. Hujus conſectarij uſus eſt ſæpè κατ' ἀναπλήρωσιν, cum manente baſe dati trianguli,pro datis cruribus eorum ad ſemicirculum reſidua uſurpantur.

VII. PROPOSITIO.


Angulus inclinationis circulorum in ſphæra, maior eſt angulo à rectis in eas inſcriptis comprehenſo.

IN diagrammate ſequenti, ſint tres quadrantes *ae*, *ei*, *ia*, comprehendentes triang. æquilaterum ſibi inſcriptum: jam quia angulus ſphæricus eſt ipſa planorum inclinatio, quorum vertices coëunt in centro ſphæræ, erunt tria plana horum circulorum ad ſe mutuo recta, & triang. planum ad hæc ſingula obliquum; ſumantur ergo in ejus lateribus, intervalla crurum anguli recti quem hic duo plana circulorum faciunt, & transferantur in latera alicujus ang. ab inſcriptis facti; eritque ang. inclin. planorum, major angulo triang. æquicruri, hac crurum tranſlatione geniti, quia ipſe ſubtenditur à toto latere huius, hic vero jam à linea minori, & angulus ang. æquicrurus ſi ſit major baſi, major quoque eſt, ut patet ex elementis.

CONSECTARIVM I.

Itaque

Tripleuri ſphærici tres anguli duobus quidem rectis maiores, at ſex rectis minores ſunt. 20 *pr. lib.* 1. *Menelai.*



INSCRIBANTVR tres rectæ ſubtendentes latera tripleuri ſphærici *aei*, ex comprehendent triangulum rectilineum *aei*: atqui, ut jam oſtendimus, ſinguli anguli trianguli, ſingu-

ſingulis tripleuri ſunt minores, quare tres anguli trianguli qui duobus rectis ſemper æquales ſunt, tribus angulis tripleuri minores erunt.

Sed & tres tripleuri anguli minores ſunt ſex rectis; quia angulus omnis inclinationis planorum minor eſt duobus rectis; itaque tres anguli tripleuri etiam obtuſiſſimi, ſex rectis minores erunt.

CONSECTARIVM II.


Itaque

Vt è datis tribus angulis tripleurum deformetur, neceſſum eſt, ut ipſi omnes inſimul, & duorum quorumcunque reſidua, addito tertio, duos rectos excedant.

RESIDVVM ut ſæpè antea à nobis dictum, eſt 180 graduum exceſſus ſupra datam peripheriam, angulumve datum: Sit enim in eodem triangulo *aei*, angulus *a* 130 gr. *e* 140 gr. *i* 60 gr. utique tres iſtos angulos duobus rectis majores eſſe nemo dubitat; attamen ineptum ut hinç tripleurum deformari poſſit: Nam triangulum *yae* quod per hujus ἀναπλήρωσιν efformatur, habebit angulum *y* æqualem *i* per conſ. 3 propoſ. 6. 60 gr. *a* prioris reſiduum 50 gr. & *e* prioris reſiduum 40 grad. atqui hi numeri additi conflant nobis 150 gr. minus nempe duobus rectis. Quare data iſta erunt inidonea; quod monuiſſe operæ videbatur pretium.

VIII. PROPOSITIO.

Si ex angulis dati tripleuri tanquam polis, maximi circuli deſcribantur, comprehendent tripleurum cuius latera & anguli, laterum & angulorum primo datorum reſiduis reciproce reſpondeant.




27.

ESTO primum tripleurum acutangulum *aei*, cujus ideo latera omnia quadrante ſunt minora per conſ. 2. propoſ. 3. & ex *a* polo deſcribatur maximus circulus *sdy*; ex *e*, *rml*; ex *i*, *tdqb*; quare in concurſu *eo sy* circulorum ad *ae* perpendicularium, nempe in *f* polus erit circuli *ae*, is igitur abſolvatur ex hoc polo: & in concurſu *td lr*, nempe in *t* erit polus circuli *eio*, & denique in *d*, & in *b* polus *aiu*, hinc fiet triangulum *tſb* quale diximus. Cum igitur angulus *aei* ſit acutus ex hypotheſi, *t* polus *ei*, *f* polus *ae* utrimque trans crura cadet & erit *tf* reſiduum anguli *aei* ad ſemicirculum per 2 & 3 conſ. prop 6. Itemque *f d* poli cadent ab eadem parte extra crura acuti *iae*, & erit ejus menſura. atque *dt* poli cadent ab eadem parte extra crura acuti *aie*, & horum diſtantia *td* erit ejus menſura per 2 & 3 conſ. p. 6. At verò quemadmodum latus *tf* reſpondet reſiduo anguli *aei* ad ſemicirculum,

lum, ita quoque angulus *tbf* illi oppoſitus reſpondet reſiduo *ai* ad ſemicirculum: nam *ai* latus quadrante minus eſt, & ideo *td* crus anguli ex polo *i* deſcriptum complectitur *a* polum cruris *fb*, & eodem modo *fb i* intra continebit, quare *ai* polorum diſtantia æquabitur reſiduo anguli *tbf* ad ſemicirculum, vel angulus *tbf* æquabitur reſiduo *ai* lateris ad ſemicirculum; id enim idem eſt. Eodem modo concludes *ftb* reſiduo *ie* ad ſemicirculum, & *tfb* reſiduo lateris *ae* ad ſemicirculum æquari.

Res eadem eſt ſi duo ſint obtuſi cum uno acuto ut in eodem diagrammate in triangulo ad baſin *aoi* oppoſito. hic *o* acutus eſt reliqui obtuſi; huic reſpondet triangulum *tdf*, ut enim ipſum triangulum *aoi* & latera & angulos habet ad ſemicirculum reliquos trianguli *aei*, præter commune latus *ai*, & angulum, *o* oppoſito *e* æqualem; ita quoque *tfd* reſpondet ipſi *tfb*; quare *tfb* angulos & latera habet lateribus & angulis trianguli *aoi* ad ſemicirculi reſiduum reſpondentia.



28

Si triangulum habeat unũ obtuſum & duos acutos res erit eadẽ, ut ſi in ſecundo diagrammate angulus *aei* ſit obtuſus. ergo *f* polus *ae*, *t* polus *ei*, cadent intra crura *aei*, & *tf* erit reſiduum *aei* ad ſemicirculum, reliqua ut prius: quare *tbf* habebit & latera

 & an-

& angulos oppoſitos, reſpondentes trianguli *aei* laterum & angulorum oppoſitorum reſiduis ad ſemicirculum.

Si triangulum ſit merè obtuſangulum, ut *aoi*, res erit eadem, quæ in ſecundo primi diagrammatis membro, nam *tdf* illi ſimili analogia reſpondebit.

In rectangulis res eadem eſt & angulus rectus convertitur in quadrantem: nam quadrans à ſemicirculo quadrante diſtat.

Theorema hoc perutile eſt & ſequentibus demonſtrationibus libri 4 peroportunum, atque à pleriſque varie ſollicitatum, ac legibus non neceſſariis alligatum: quod nos ijs vinculis liberatum generaliter hic proponimus. Sed exemplum quoque in hoc ſchemate numeris aptatum accipito, quo facilius ſummam animo concipias. Eſto tripleurum *aei* cujus latera ſint *ae* 32 gr. 45 ſcr. *ei* 54 gr. 26 ſcr. *ai* 83 gr. 50 ſcr. & deſcriptis circ. maximis *rael*, *eimo*, *aiu*, fiet anguli *tfd* menſura *rf*, æqualis diſtantiæ polorum *ae*, ejuſque reſiduum *ry*, erit menſura anguli *tfb*, qui proinde datur 147 gr. 15 ſcr. & eſt æqualis reſiduo cruris *ae*: ſimiliter quoque anguli *ftd*, menſura, fiet æqualis diſtantiæ *ei*; & reſiduum *io* menſura anguli *ftb* 125 gr. 35 ſcr. Denique ang. *fdt*, reſiduum erit diſtantiæ *ai* ſeu anguli *tds* qui æquantur, ideoque angulus ad *b* reſiduo *ai* ſcil. 96 gr. 10 ſcr. æquabitur: trianguli itaque *tbf*, ſinguli anguli, ſingulis laterum triang. *aei* reſiduis reſpondent: quod ſi dentur anguli trianguli *aei*, tum reſiduo ang. *aei*, crus *tf*, reſiduo vero *eai* crus *fb*, denique reſiduo *eia* crus *tb* in triang. *tbf* æquari, manifeſtum eſt ex antecedentibus.

IX. PRO-

IX. PROPOSITIO.


Tripleurum ſphæricum rectangulum eſt, quod ſaltem unicum habet angulum rectum; acutangulum quod omnes acutos; obtuſangulum quod vel omnes obtuſos, vel acutos & obtuſos mixtim habet.

EA eſt anguli recti prærogativa, ut ubicunque ſe vel ſemel tantum interponat, triangulum ſit rectangulum; reliqui acuti an obtuſi ſint nihil intereſt. acutangulum triangulum omnes congeneres ſibi depoſcit. obtuſangulum ſolum rectum angulum reſpuit, acutum vero & unum & alterum admittit; quod inde exiſtit, quia tres anguli tripleuri rectis quidem duobus majores, at ſex rectis minores ſunt, in planis ſecus eſt: ibi enim tres anguli trianguli ſemper & inter ſe & duobus rectis ſunt æquales.

X. PROPOSITIO.

Crura tripleuri rectanguli ſunt eiuſdem affectionis cuius ſunt anguli ipſis oppoſiti. & contra 11 *p. l. Geb.*

HOc eſt ſi recti crus ſit quadrãs circuli, angulus ei oppoſitus quoq; rectus erit: ſi quadrãte majus obtuſus: ſin minus, acutus, & cõtra. Ego hic partẽ converſam primo loco demõſtrabo: Sit enim angulus *eai* rectus, quare *ae* tranſibit per polos circuli *ai*, & viciſſim *ai* per polos *ae* per propoſ. 3. ſi itaque crus *ai* ſit quadrans, tum *i* punctum erit polus circuli *ae*; atque ideo *ei* quo-



ei quoque quadrans erit. ſin ut in triangulo *eao*, crus *ao* minus ſit quadrante, quia *eo* cadit citra *i*, & *e* non eſt polus, *eo* minor erit quam *ei*, & ita *eu* major quam *ei* per propoſ. 4.

Et contra ſi angulus *iea*, ad baſin *ie* poſitus, rectus ſit, *ei* baſis & *ea* crus quadrantes erunt per prop. 1. nam in eorum concurſu *i* eſt polus circuli *ae* per conſ. 1. propoſitionis 3.

Si angulus *uea* ſit obtuſus, *ue* baſis in triangulo *eau* major erit quam *ei* per propoſ. 4. Et ſimiliter in triangulo *eao*; ſi *oea* ſit acutus, baſis *eo* quadrante erit minor per eandem 4.

Exemplum memoriæ poteris concipere in æquinoctiali & ecliptico circulo, ſi alibi atque alibi à meridiano interſectos intelligas.

XI. PROPOSITIO.

Si rectanguli tripleuri, crus alterum ſit quadrans circuli, etiam baſis quadrans erit: ſin utrumque ſit affectionis eiuſdem in exceſſu aut defectu baſis erit quadrante minor: ſin diverſæ maior. & contra è 4 & 5 pr. lib. 4 Regiomont.

IN eodem diagrammate ſit *eai* tripleurum cujus angulus ad *a* ſit rectus, & ſit crus *ai* quadrans, ergo per 1 propoſ. *i* polus erit circuli *ae*, & ideo *ie* quadrans.

Sunto jam crura *ea ao* ambo minora, quare *eo*, cum cadat citra *ei*, erit minor quam *ei* per prop. 4. Idem erit ſi ambo ſumantur majora, ut in triangulo *eyo*: nam *eyo*, *eao*, anguli æquales, recti nempe ſunt per 3 conſ. prop. 6. & baſis *eo* utrique communis, jam minor eſt oſtenſa quadrante *ei*.

Sin

Sin *ea* crus ſit minus, & *au* majus quam *ai*; jam *ue* major erit quam *ei* per eandem 4.

Converſæ iſtarum in eodem diagrammate manifeſtæ erunt: Sit enim angulus ad *a* rectus, & ſit *ei* circuli quadrans; ajo crus *ia* quoque quadrantem eſſe: ſi enim *ai* majus aut minus eſſet quadrante, jam per directam partis ſecundæ *ei* baſis quoque quadrante eſſet major aut minor, quod eſt contra theſin.

At ſi ut in triangulo *eao*, baſis recti *eo* ſit minor quadrante; ajo crus utrumque *ea ao* eſſe affectionis ejuſdem: nam ſi *ei* quadrans ſit, & *ai* quadrans erit per prop. 9. at baſis minor eſt quadrante, per theſin, ſi itaque *ea* crus quadrante ſit minus *eo* cadet citra *i* per propoſ. 4 converſam; quare *ao* quoque quadrante minor erit. ſi vero ut in triangulo *eyo*, *ey* crus majus ſit quadrante, reliquum *yo* quoque majus erit: hoc, enim ex minore *eao* conſtat κατ' ἀναπλήρωσιν.

Denique, ſi baſis *eu* major ſit quadrante crura *ea au* erunt affectionis diverſæ; cum enim *ue* baſis recti quadrante ſit major, *e* non erit polus circuli *aou*, ſecus enim *eu* quadrans eſſet contra theſin, quare *ea* minus erit quadrante & *ey* majus: ſtatuatur itaque *ei* quadrans à puncto *e*, & *ai* igitur per primam partem quadrans erit, quare per conv. 4 prop. *eu* ultra *ei* occurret ſemicirculo *aoy*. & *au* majus erit quadrante; & crura *ea au* affectionis diverſæ, nempe alterum majus & alterum quadrante minus, quod erat demonſtrandum. operoſius iſta à Regiomontano & alijs oſtenduntur: ſed hæc formula mihi viſa eſt planiſſima. Exemplum tibi iterum ut ante in æquinoctiali & ecliptica concipito.

XII. PRO-

XII. Propoſitio.

Si rectanguli tripleuri, alteruter angulorum in baſi rectus ſit, baſis erit quadrans; ſin uterque affectionis eiuſdem, minor; ſi diverſæ maior. & contra. è 6 & 7. l. 4 Regiom.

VT in eodem diagrammate, Si in tripleuro *eai*, angulus *a* rectus ſit, & præterea angulus *e* ad baſin *ie* poſitus; tum *ie* baſis quoque quadrans erit, quia per 3 prop. conſect. *i* polus eſt circuli *ae*.

Si autem uterque angulus ad baſin ſit acutus ut in tripleuro *oea*, tum per propoſ. 9. crura oppoſita erunt minora; aut ſi uterque obtuſus majora quadrante, atque ideo per 10 pr. baſis *eo* quadrante minor.

Sin verò anguli ad baſin, ut in triangulo *eau*, ſint affectionis diverſæ; ut *uea* obtuſus & *eua* acutus, tum per 9 pr. *au* crus majus, & *eu* erit minus: atque ideo per 10 baſis *ue* quadrante major.

Converſa quoque ita patet: nam ſi in tripleuro *eai*, *ei* baſis ſit quadrans, & crus *ai* quadrans erit, atque ideo per 9 angulus *iea* rectus.

Si ut in tripleuro *eao*, baſis *eo* ſit quadrante minor, crura *ea ao* erunt affectionis ejuſdem, per 10. atque ideo anguli ijs oppoſiti acuti per 9.


Denique, Si ut in tripleuro *eau*, baſis ſit quadrante major, crura *ea au* erunt affectionis diverſæ per 10. & ideo per 9, unus acutus, alter obtuſus, quod erat demonſtrandum.

XIII. Pro-

XIII. PROPOSITIO.

In tripleuro, ſinus laterum ſinibus oppoſitorum angulorum ſunt proportionales. 16 & 17 pr. lib. 4. Reg.

HVIVS veritas nobis in rectangulis demonſtrabitur, & inde ad obliquangula procedet.




Sit igitur triangulum datum *aei*, cujus angulus ad *e* rectus, ad *a* autem acutus ſit primũ, & latera omnia quadrante minora; & *ei* crus perpendiculare ipſi *ea*, continuetur ad polum *y*. hinc ab eodem polo *y* quadrans in terminum quadrantis *ao* normalis demittatur; is quoque ad *aiu* erit normalis, quia *a* punctum polus eſt circuli *yo* per propoſitionem primam: Iam radii *ro ru* utriuſq; circuli & ipſius communes erunt ſectiones; & ſit *um* perpendicularis, ſinus peripheriæ *uo*, & ab *i* parallela *il* contra *ur*; & *iu* perpendicularis plano *aor*, erit parallela contra perpendicularem *um*. atque ideo planum *lin* plano *urm* parallelum. utriuſque communes ſectiones *rm ln* quoque inter ſe erunt parallelæ, & triangulum *urm* triangulo *iln* æquiangulum lateribus erit proportionale. Hoc eſt ut *ur* ad *um*, ita *il* ad *in*. Sed *ur* ſinus totus, eſt ſinus quadrantis, æqualis ſinui anguli recti ad *e*, *um* ſinus peripheriæ *uo*, ſeu anguli *a*, *il* ſinus baſis *ai*; *in* ſinus cruris *ei*: quare in triangulo rectangulo, ut ſinus recti *e* ad ſinum anguli *a*, ita ſinus

nus lateris *ai* recto oppoſiti, ad ſinum lateris *ei*, qui acuto opponitur.

Si triangulum aſſumatur, cujus angulus ad *i* ſit obtuſus, κατ' ἀναπλήρωσιν, res omnino erit eadem.

Si pro angulis *a* & *i*, per anapleroſin alteram, reſidua aſſumantur ad ſemicirculum, ut *ai* ſit latus commune, res iterum eadem erit, quia iidem ſinus manent qui prius.

In obliquangulis demonſtratio hinc derivabitur haud admodum difficulter: Sit enim triangulum



obliquangulum *eia*, & perpendicularis à vertice *io*. erit igitur per præmiſſa, ut ſinus anguli *o*, ad ſinum *e*, ita ſinus lateris *ei*, ad ſinum perpendicularis *io*; Et ut ſinus recti *o*, ad ſinum *a*; ita ſinus lateris *ai*, ad ſinum *oi*: rectangulum igitur è ſinu anguli *a*, & latere *ai*, æquatur rectangulo è ſinu *e* & latere *ei*; ergo latera reciproce erunt proportionalia, hoc eſt ut ſinus anguli *a* ad ſinum anguli *e*: ita ſinus lateris *ei* ad ſinum lateris *ai*, quod erat demonſtrandum. Sed de rectangulorum tripleurorum ſolutione prius dicendum eſt, quia iſta ad obliquangula viam nobis muniunt. Ex hac propoſitione dirivantur octo διδομένα, ſive data; & primo quidem.

XIV. PROPOSITIO.


Rectangulorum ex hoc διδομένον I.

Data baſe recti, & angulo obliquo adiacente, crus eidem oppoſitum invenire.

I. FIAT *ut ſinus totus, ad ſinum baſis; ita ſinus anguli, ad ſinum cruris oppoſiti.*

Hujus

Huius veritas ex antecedentis propoſitionis demonſtratione, nullo circuitu manifeſta eſt. Ut enim ſinus anguli recti, qui eſt ipſe radius, ad ſinum anguli oppoſiti, ita latus recto oppoſitum ſive baſis, ad crus recti dato obliquo ſubtenſum: Et alternis igitur, ut propoſitum fuit; Sit igitur *ai* baſis 47 gr. 30 ſcr. & angulus *eai* 23 grad. 30 ſcr. & quæratur crus recti *ei*.



ut ſin. tot.	ad ſin. baſ.	ita ſin. anguli
	ai 47 gr. 30 ſcr.	*a* 23 gr. 30 ſcr.
10000000,	7372773,	3987491,

ad ſinum cruris *ei* 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec. 2939886.

Hic modus prior eſt, ſecundus ſequitur.

II. *Vt ſinus totus, ad ſecantem complementi baſis; ita ſecans complementi anguli, ad ſecantem complementi lateris oppoſiti.*

Cum enim ſinus peripheriarum in antecedente ſchemate, *ai au*, *ei uo* ſint proportionales; erit quoque per prop. 19. libri primi ut ſinus *ai* ad ſinum *au* ſeu radium, ita radius, ad ſecantẽ complementi *ai*. Et ut ſinus *ei*, ad *uo*, ita per propoſ. 19. lib. primi ſecans complementi *uo* ad ſecantem complem. *ei*; Et ex æquo igitur, Radius eſt ad ſecantem compl. baſis *ai*; ut ſecans complementi *uo* (nam ſubtendit angulum ad *a*) ad ſecantem complementi cruris oppoſiti *ei*. Sunto eadem data quæ prius.

ut ſin. tot.	ad ſec. comp. baſ.	ita ſec. com. ang.
	ai 47 gr. 30 ſcr.	23 gr. 30 ſcr.
10000000,	13563417,	25078428,

ad ſec. com. cru *ei* 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec. 34014988,

Vides hinc etiam eandem dari peripheriæ *ei* quantitatem quæ prius.

Sed & pluribus modis idem concludi poteſt; ſunt enim quatuor præterea modi, in quibus Radius ſive ſinus totus ſecundo ſit loco, quos hic obiter ſubjicio.

III. *Vt ſinus baſis, ad ſinum totum; ita ſecans complem. anguli, ad ſecantem complementi lateris oppoſiti.*

IV. *Vt ſecans complem. baſis, ad ſinum totum; ita ſinus anguli dati, ad ſinum lateris quæſiti.*

V. *Vt ſecans complem. anguli dati, ad ſinum totum; ita ſinus baſis, ad ſinum lateris oppoſiti.*

IV. *Vt ſinus anguli dati, ad ſinum totum; ita ſecans complem. baſis, ad ſecantem complem. lateris oppoſiti.*

Ita omnium rectangulorum triangulorum ſolutiones, ſex modis variari poſſunt; ſed reliquis quatuor inſuper habitis duos ubique tantum retinebimus, qui ſolo multiplicationis opere abſolvuuntur; & pluribus adhuc ſi ſinum totum nuſquam adhibere velis: ſed ea περιεργία eſt inutilis cum tangentium & ſecantium tabulæ illi fini ſint ſubductæ & in hos abacos illatæ.

XV. PROPOSITIO:

Δεδομένον II.

Dato crure recti & angulo oppoſito, datur baſis. Sed id definite conſtare debet, utrum baſis quadranti cedat an præſtet.

I. *VT ſinus totus, ad ſecantem complementi anguli; ita ſinus cruris dati, ad ſinum baſis.*

Nam ſinus peripheriarum *uo ua*, *ie ia* ſunt proportio-

portionales, ſed per propoſ. 18. libri primi ſinus *uo* eſt ad ſinum *ua* ſive radium, ut radius, ad ſecantem complementi, ipſius *uo*. In eodem exemplo.

ut ſin. tot.	ad ſec. com. ang.	ita ſin. cruris *ei*.
	a, 23 gr. 30 ſcr.	17 gr. 5 ſc. 49 ſe.
10000000,	25078428,	2939886,

ad ſinum baſis *ai* 47 gr. 30 ſcr. 7372772.

II. *Fiat, ut ſinus totus, ad ſinum anguli dati; ita ſecans complem. cruris, ad ſecantem complem. baſis.*

In eodem diagrammate per propoſ. 13. ſinus peripheriarum *au uo*, *ai ie* ſunt proportionales, ſed per propoſ. 19. lib. primi ut ſinus *ai*, ad *ie*, ita ſecans complementi *ie*, ad ſecantem complem. *ai*. Et ex æquo igitur ſinus *au*, ſive ſinus totus eſt ad ſinum *uo*, ſeu anguli *a*; ut ſecans compl. cruris oppoſiti *ie*, ad ſecantem compl. baſis *ai*.

Sunto data, crus *ei* 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec. & angulus *iae* 23 gr. 30 ſcr. & quæratur baſis recti *ai*.

ut ſin. tot.	ad ſin. ang. *a*	ita ſec. comp. cruris
	23 gr. 30 ſcr.	*ei* 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec.
10000000	3987491	34014837

ad ſec. comp. baſis *ai* 47 gr. 30 ſcr. 13563385.
atque ideo ipſa baſis erit 47 gr. 30 ſcr. abundante uno aut altero ſcr. ſecundo ob lubricitatem calculi.

XVI. PROPOSITIO:

Δεδομένον III.

Data baſe recti, & crure alterutro, datur angulus eidem oppoſitus.

I. FIAT *enim, ut ſinus totus, ad ſecantem compl. baſis; ita ſinus cruris, ad ſinum anguli oppoſiti.*

Sinus enim peripheriarum *ai au*, *ei uo* ſunt per propoſ. 13 proportionales. atqui per prop. 18 lib. primi ut ſinus *ai* ad ſinum *au*, ſive radium; ita radius quoque eſt ad ſecantem complementi baſis *ai*.

Sit igitur in eodem primo diagrammate *ai* baſis recti 47 gr. 30 ſcr. & crus 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec. & quæratur angulus *a*

ut ſin. tot.	ad ſec. com. baſ. *ai*	ita ſin. crur. *ei*
	47 gr. 30 ſcr.	17 gr. 5 ſc. 49 ſe.
10000000	13563417	2939886

ad ſin. ang. *a* 23 gr. 30 ſcr. 3987490.

II. *Ut ſinus totus, ad ſinum baſis; Ita ſecans complementi cruris dati, ad ſecantem compl. anguli oppoſiti.*

Nam in eodem diagrammate ſinus *au ai*, *uo ei*. ſunt proportionales; ſed per prop. 19. lib. primi, ut hic *ou* ad ſinum *ei*, ita viciſſim ſecans compl. *ei* ad ſecantem compl. *ou*. Sit idem exemplum

ut ſin. tot.	ad ſin. baſ. *ai*	ita ſec. com. cr. *ei*
	47 gr. 30 ſcr.	17 gr. 5 ſcr. 49 ſec.
10000000	7372773.	34014837.

ad ſec. com. ang. opp. *a* 66 gr. 30 ſcr. 25078367. & ipſe angulus ideo 23 gr. 30 ſcr.

XVII. PROPOSITIO:


Δεδομένον IV.

Dato recti crure, & baſe, datur crus reliquum.

I. **F**IAT *enim, ut ſinus totus, ad ſecantem cruris dati; ita ſinus complementi baſis, ad ſinum complementi cruris reliqui.*

In ad-

In adjecto ſchemate dentur *ei* crus, & *ai* baſis recti ad *e*, ſitque *ou* menſura anguli *a*; & *y* polus circuli *ae*; Hic igitur triangulum *yiu* rectangulum, *aie* ad verticem eſt poſitum, & *yi ui* complementa *ai* & *ei*, atqui data baſe *yi* & crure *ui*, dabitur *eo* menſura anguli *y* per propoſitionem 16, cujus leges huc transfer & videbis omnia congruere: Ita enim illic eſt demonſtratum. Vt ſinus totus ad ſecantem compl. *yi*, ita ſinus cruris *iu*, ad ſinum *eo*, quæ menſura eſt anguli *y*. hoc eſt, ſi iſtas peripherias ad propoſitum triangulum *aei* referamus, ut ſinus totus, ad ſecantem cruris *ei*; ita ſinus complementi baſis *ai*, ad ſinum complementi cruris *ae*. Poſſet tota demonſtratio & ejus contextus huc transferri & applicari triangulo *yiu*, atque inde ad *aei*. Sed hoc eſſet cramben recoctam proponere; Hoc nunc ſemel indicare viſum: in ſequentibus tantum digitum ad fundum intendam. Sit baſis *ai* 47 grad. 30 ſcr. crus *ei* 17 grad. 5 ſcr. 49 ſec.



ut ſin. tot. ad ſec. crur. *ei* ita ſin. comp. baſ. *ai*
17 gr. 5 ſc. 49 ſec. 47 gr. 30 ſcr.
10000000 10462344 6755902
ad ſin. com. crur. *ae* 7068257, 44 gr. 58 ſcr. 38 ſec.

atque ideo ipſum crus datur 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.

II. *Vt ſinus totus, ad ſinum complementi cruris; ita ſecans baſis, ad ſecantem cruris reliqui.*

Id enim planum eſt è ſecunda antecedentis propoſitionis analogia, ſi oculos ad propoſitum diagramma & triangulum *yiu*, dato *aie*

verticale referas. Sit idem exemplum propoſitum, *ai* baſis 47 gr. 30 ſcr. & crus *ei* 17 grad. 5 ſcr. 49 ſec.

ut ſin. tot.	ad ſin. com. cru. *ei* 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec.	ita ſec. baſ. *ai* 47 gr. 30 ſcr.
10000000	9558086	14801872


ad ſec. crur. *ae* 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec. 14147756.

XVIII. Propositio:

Διδόμενον V.

Dato utroque crure recti, datur & baſis.

I. Fiat *enim, ut ſinus totus ad ſinum complementi cruris unius, ita ſinus complem. cruris alterius, ad ſinum complem. baſis.*



Ut in appoſito diagrammate datis cruribus *ae* & *ei* quæritur baſis *oi*. & hoc per triangulum rectangulum ad verticem ei poſitum ſolvetur: complementum enim cruris *ae* eſt *eo* menſura anguli *y*, complementum *ei* eſt *iy*, at per prop. 13. ut radius, vel ſinus totus, ad ſinum *iy*, ita ſinus *eo*, ad ſinum *iu*. & hæc ſunt complementa laterum *ae ei* quemadmodum propoſuimus.

ut ſin. tot.	ad ſin. com. cr. *ei* 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec.	ita ſin. com. cr. *ae* 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.
10000000,	9558086,	7068256,

ad ſin. com. baſ. *ai* 42 gr. 30 ſcr. 6755900.
atque ideo ipſa baſis *ai* erit 47 gr. 30 ſcr.

II. *Ut ſinus totus, ad ſecantem cruris, ita ſecans cruris reliqui, ad ſecantem baſis.*

Hoc

Hoc ex priori parte conſequitur. vel potius è modo ſecundo propoſ. 14. ut primum hoc ex illo primo derivari, poteſt. res animum advertenti non eſt obſcura.

Vt ſin. tot.	ad ſec. cr. *ei*	ita ſec. cr. *ac*
	17 gr. 5 ſcr. 49 ſec.	45 gr. 1 ſcr. 22. ſec.
10000000	10462344	14147760


ad ſec. baſ. *ae*, 47 gr. 30 ſcr. 14801913.

XIX. PROPOSITIO:

Δεδομένον VI.

Dato crure recti & angulo adiacente, dabitur obliquus eidem oppoſitus.

I. FIAT *enim, Vt ſinus totus, ad ſinum anguli dati, ita ſinus complementi cruris dati, ad ſinum complementi anguli oppoſiti.*



In propoſito ſchemate datur crus *ei*, cum angulo ad *i*, & quæritur angulus obliquus *a*. & hoc quoque per triangulum rectangulum ei ad verticem poſitum ſolvetur: nam hic *iy* complementum eſt cruris *ei* & angulus *yiu* dato verticalis, & ideo æqualis. Itaque in triangulo *iyu*, data baſi *yi*, & angulo *i*, inveniatur latus oppoſitum *uy*, cujus complementum eſt *uo*, menſura anguli ad *a*. atque ita hujus veritas ex prima parte propoſ. 14. manifeſta erit.

Detur itaque, crus *ei* 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec. & angulus *i* 73 gr. 37 ſcr. 47 ſec.

ut ſin. tot. ad ſin. ang. *i.* ita ſin. com. crur. *ei*
73 gr. 37 ſcr. 47 ſec. 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec.
10000000 9594600 1958086
ad ſin. com. ang. *a*, 66 gr. 30 ſcr. 9170601,
& ideo ipſe ang. *a* 23 gr. 30 ſcr.

II. *Ut ſinus totus, ad ſecantem compl. anguli dati; ita ſecans cruris dati, ad ſecantem anguli oppoſiti.*


Hujus veritas ex ſecunda parte propoſ. 14. ſecundum appoſitum diagramma aſſumi potuit, quemadmodum hanc primam ex illa prima demonſtravimus; ſed poteſt illa ex hac prima parte quoque derivari; inſpice quæ illic diximus.
ut ſin. tot. ad ſec. comp. ang. *i* ita ſecans cr. *ei*
73 gr. 37 ſcr. 47 ſec. 17 gr. 5 ſc. 49 ſe.
10000000 10422525 10462343
ad ſec. ang. *a* 23 gr. 30 ſcr. 10904403.

XX. PROPOSITIO:

Δεδομένον VII.

Dato crure & angulo oppoſito, datur obliquus adiacens; oportet autem definiri utrum recto cedat an præſtet.

I. FIAT enim, *Ut ſinus totus, ad ſecantem cruris, ita ſinus complem. anguli oppoſiti, ad ſinum anguli adjacentis.*



In adjecto ſchemate datur crus *ei*, cum angulo oppoſito *a*, quæritur reliquus obliquus ad *i*. hoc quoque per triangulum ad verticem *iyu* & enallagen pleurogonicen ſolvetur; nam anguli *a* menſura eſt

ra eſt *ou*, & complementum cruris *ei* eſt *uy* baſis recti; quare in triangulo *iuy* per propoſ. 16 partem primam data baſe *yi* & crure *uy* recti dabitur angulus eidem oppoſitus ad *i*. eſt enim illic, ut ſinus totus, ad ſecantem compl. baſis *yi*, ita ſinus cruris *uy*, ad ſinum anguli *i*. ſed baſis complementum eſt *ei*, & complementum cruris *uy* eſt *uo*, menſura anguli ad *a*. ſit angulus ad *a*, 23 gr. 30 ſcr. crus *ei* 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec.

ut ſin. tot.	ad ſec. cr. *ei*	ita ſin. com. ang. *a*
	17 gr. 5 ſcr. 49 ſec.	23 gr. 30 ſcr.
10000000	10462344	9170601

ad ſin. ang. *i* 73 gr. 37 ſcr. 47 ſec. 9594598.

II. *Ut ſinus totus, ad ſinum complementi cruris dati, ita ſecans anguli oppoſiti, ad ſecantem complem. anguli reliqui.*

Eadem ratione quâ prior modus è priore decimæſextæ propoſitionis derivatur, ita hic poſterior ex illius ſecundo quoque derivabitur. Sit ergo crus *ei* 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec. & angulus ei oppoſitus *a* 73 gr. 37 ſcr. 47 ſec.

ſin. totus	ſin. com. cr. *ei*,	ſec. ang. *a*.
	45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.	73 gr. 37 ſc. 47 ſec.
10000000	7068256	35480654

ſec. com. ang. *i* 66 gr. 30 ſcr. 25078634.


XXI. PROPOSITIO:

Διδομένον VIII.

Dato utroque angulo obliquo, datur crus recti utrumlibet.

I. FIAT *enim, ut ſinus totus, ad ſecantem complem. anguli unius; ita ſinus complem. reliqui, ad ſinum complem. cruris huic oppoſiti.*

Id ex antecedente 22 derivabitur hoc modo, cum enim in triangulo *aei* dentur anguli *a* & *i*; in triangulo igitur illi ad verticem oppoſito *uiy*, ex angulo *a* datur ejus quantitas *ou*, & propterea ipſa peripheria *uy*. quare in triangulo *uyi*, datur crus recti *uy*, cum angulo *i* ipſi oppoſito; inde jam quæratur angulus *y*, ſeu peripheria *eo*, cujus compl. eſt *ae* crus anguli dati *a*. Sit igitur angulus *a* 23 gr. 30 ſcr. & *i* 73 gr. 37 ſcr. 47 ſec. itaque ſi leges propoſitionis antecedentis huc transferas, erit ut



ſinus totus	ad ſec. com. ang. *a*	ita ſin. com. ang. *i*,
	23 gr. 30 ſcr.	73 gr. 37 ſcr. 47 ſec.
10000000,	25078428	2818437

ad ſin. com. cr. *ae*. 44 gr. 58 ſcr. 38 ſec. 7068197, cujus complementum 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec. pro crure *ae*. non tamen exactè, nam deberent eſſe 24 ſec. ex calculo.

II. *Vt ſinus totus, ad ſinum anguli unius; ita ſecans anguli alterius, ad ſecantem lateris huic oppoſiti.*

Id quoque eodem modo ex ſecunda antecedentis propoſitionis factione derivatur; confer hoc diagramma cum iſtius præceptis, quemadmodum antea eſt à nobis factitatum, omnia reſpondebunt. ſunto data eadem quæ prius.


ſin. totus	ſin. ang. *a*.	ſec. ang. *i*
	23 gr. 30 ſcr.	73 gr. 37 ſcr. 47 ſec.
10000000,	3987491,	35480654,

ſec. cr. *ae* 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec. 14147878.
crus igitur recti *ae* oppoſitum angulo *i* erit 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec. paulo majus ob lubricitatem calculi.

XXII. PRO-

XXII. PROPOSITIO.

In tripleuro ſphærico rectangulo, eſt ut ſinus totus ad ſinum cruris recti, ita tangens anguli obliqui adjacentis, ad tangentem cruris eidem oppoſiti.



SIT enim tripleurum *aei*, cujus angulus ad *e* rectus, reliqui obliqui; & latera *ae ai* continuentur ad ſuos quadrantes *o u*, deinde ex *a* angulo decircinetur menſura ejus *ou*, quæ continuata occurret cruri *ei* in *y*, polo circuli *oea*, per conſ.prop.3. Inde peripheriæ *ou* tangens ſit *om*, quam terminet ſecans *rum*: porrò perpendiculari *en*, occurrat recta ex centro *rin*; ea tangentem peripheriæ *ei* definiet; & ambæ lineæ *mr nr* jacebunt in plano circuli *ura* continuato: in eodem igitur plano ſit *nl* parallela contra *mr*, planum igitur trianguli *enl* plano *omr* parallelum, & ſectum à plano circuli *ora*, dabit per 16. p. 11 l. Eucl. communes ſectiones *or el* quoque parallelas; & ideo anguli triangulorum *omr enl* æquales per 10 pr.l.11.Eucl. & ipſa triangula ideo erunt ſimilia: hoc eſt ut *or* ſinus totus, ad *el* ſinum cruris *ea*; ita tangens *mo*, peripheriæ *ou*, quæ menſurat angulum *a*, ad *en* tangentem cruris *ei*; Quod erat demonſtrandum. Ex hoc theoremate ut è 13 prop. itidem octo δεδομένα derivantur. Et primo quidem,

XXIII. PRO-

XXIII. PROPOSITIO:

Ex hoc Δεδομένον IX.

Dato crure recti & angulo adjacente, datur crus reliquum.

ID ſtatim ex ipſa demonſtratione aſſumi potuit:

I. *Fiat enim, ut ſinus totus, ad ſinum cruris dati, ita tangens anguli adjacentis, ad tangentem cruris reliqui.*

Datum triangulum ſit *aei*, erit igitur, ut *or* ad *el*, ita *mo* ad *ne*.

Sit *ae* 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec. & angulus adjacens *a* 23 gr. 30 ſcr.

ut ſin. tot.	ad ſin. cr. *ea*	ita tang. ang. *a*
	45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.	23 gr. 30 ſcr.
10000000	7073878	4348124

ad tang. cr. *ei* 17 gr. 5 ſc. 49 ſec. 3075809,

II. *Vt ſinus totus, ad ſecantem complem. cruris dati, ita tangens compl. anguli, ad tangentem compl. cruris oppoſiti.*

Nam ex demonſtratis. ut ſinus peripheriæ *ae*, ad ſinum totum *or*, ita tangens *ei*, ad tangentem *ou*. atqui per prop. 18 lib. primi, ut ſinus *ae*, ad radium, ita radius ad ſecantem complementi peripheriæ *ae*, Et per prop. 15 lib. primi ut tangens *ei*, ad tangentem *ou*, ita tangens compl. *ou*, ad tangentem compl. *ei*; ex æquo igitur,

ut ſin. tot.	ad ſec. com. cr. *ae*	ita tang. com. an. *a*
	45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.	23 gr. 30 ſcr.
10000000	14136518	22998425

ad tan. com. cr. *ei* 72 gr. 54 ſcr. 11 ſec. 32511764,

Ergo ipſum crus *ei* eſt 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec.

XXIV. PRO-

XXIV. PROPOSITIO:

Λεδομένον X.

Datis recti cruribus, datur angulus obliquus uterque.

I. FIAT *enim, ut ſinus totus, ad ſinum cruris unius; ita tangens complementi cruris reliqui, ad tangentem compl. anguli huic oppoſiti.*

Cum enim ſit, ut ſinus totus *or*, ad ſinum *el*, ita tangens peripheriæ *ou*, ad tangentem peripheriæ *ei*. per propoſ. 15 lib. primi, ita quoque eſt viciſſim tangens complementi *ei*, ad tangentem complementi *ou*. quare

ut ſin.tot.	ad ſin.cr.*ea*	ita tang.com.cr.*ei*
	44 gr.1 ſc.22 ſec.	17 gr.5 ſcr.49 ſec.
10000000	7073878	32511676

ad tan. com. ang.*a*. 23 gr.30 ſcr. 22998363.

II. *Vt ſinus totus, ad ſecantem compl. cruris unius; ita tangens cruris reliqui, ad tangentem anguli ſibi oppoſiti.*

Cum enim per propoſitionem 22. ſit ut ſinus *ea*, ad ſinum totum, ita tangens peripheriæ *ei*, ad tangentem *ou*, ſive anguli *a*: Erit quoque per propoſ. 18 lib. primi ut ſinus totus, ad ſecantem compl.*ea*, ita tangens *ei* ad tangentem *ou*.

ut ſin. tot.	ad ſec.com.cr.*ea*.	ita tang.cr.*ei*
	45 gr.1 ſc.22 ſe.	17 gr.5 ſc.49 ſec.
10000000	14136518	3075819

ad tang.ang.*a* 23 grad.30 ſcr. 4348137.

XXV. PRO-

XXV. PROPOSITIO:

Δεδομένων XI.

Dato crure recti & angulo oppoſito, datur crus reliquum. Oportet autem definiri utrum quadranti cedat an præſtet.

I. FIAT enim, *Ut ſinus totus, ad tangentem compl. anguli dati, ita tangens lateris oppoſiti, ad ſinum cruris adjacentis.*

Cum enim ſit in eodem diagrammate, tangens peripheriæ *ou* ad ſinum totum, ut tangens peripheriæ *ei* ad ſinum *ea*. Et ſit quoque per propoſ. 14. lib. primi ut tangens *ou* ad ſinum totum, ita ſinus totus ad tangentem complementi ejus. Erit quoque, Ut ſinus totus, ad tangentem complementi anguli dati, ita tangens lateris oppoſiti, ad ſinum cruris adjacentis:

Sit igitur *ea* 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec. & angulus *i* 73 gr. 37 ſcr. 47 ſec.

ut ſin. tot.	ad tan: com. an. *i*	ita tang. lat. *ae*
	73 gr. 37 ſc. 47 ſe.	45 gr. 1 ſc. 22 ſec.
10000000	2937524	10007953

ad ſinum cr. *ei*. 17 gr. 5 ſcr. 49 ſe. 29398602.

II. *Ut ſinus totus, ad tangentem anguli dati; ita tangens compl. cruris oppoſiti, ad ſecantem compl. cruris adjacentis.*

In eodem enim triangulo eſt, ut ſinus totus, ad tangentem peripheriæ *ou*; ita ſinus peripheriæ *ae*, ad tangentem *ei*; ſed ita quoque eſt per propoſ. 20. lib. primi, tangens compl. *ae* ad ſecantem compl. *ei*. Erit igitur

ut ſin.

ut ſin. tot.	ad tang. an. *i*	ita tan. com. cr. *ae*.
	73 gr. 37 ſcr. 47 ſec.	45 gr. 1 ſc. 22 ſec.
10000000	54042258	9992049

ad ſec. com. cr. *ei* 34015191.


Cum debetur peripheria 72 grad. 54 ſcr. 11 ſec. ejus itaque complementum 17 gr. 5 ſcr. 49 ſec. erit ipſum crus *ei*.

XXVI. PROPOSITIO:

Δεδομένον XII.

Data recti baſe, & angulo obliquo, datur crus eidem adiacens.

I. FIAT *enim, Vt ſinus totus, ad ſinum complementi anguli dati; Ita tangens baſis, ad tangentem cruris angulo dato adjacentis.*



Sint in triangulo *aei*, data baſis *ai* & angulus, & compleatur diagramma ad quadrantem ut prius. ex angulo *a* datur peripheria *uo*, & complementum *uy*, & ex *ai* datur *iu*. itaque datis cruribus *yu ui*, datur per propoſ. 24 ang. *y*, menſura *eo*, cujus complementum crus *ae*: repete demonſtrationem & huc applica ſi libet. Sit igitur

ut ſin. tot.	ad ſin. com. an. *a*.	ita tang. baſ. *ai*,
	23 gr. 30 ſcr.	47 gr. 30 ſcr.
10000000	9170601	10913085

ad tan. cr. *ae* 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec. 10007955.

II. *Vt ſinus totus, ad ſecantem anguli; ita tangens compl. baſis, ad tangentem compl. cruris adiacentis.*

Veritas

Veritas è ſecunda parte 24 propoſitionis manifeſta eſt per triangulum ad verticem poſitum *uiy*, ut prius. Ergo

ut ſin. tot.	ad ſec. ang. *a*,	ita tan. com. baſ. *ai*,
	23 gr. 30 ſcr.	47 gr. 30 ſcr.
10000000	10904411	9163312


ad tang. com. cr. *ae*, 44 gr. 1 ſcr. 22 ſec. 9992052.

XXVII. PROPOSITIO:

Δεδομένον XIII.

Data baſe & crure, datur angulus ab iis comprehenſus.

I. FIAT *enim, Ut ſinus totus, ad tangentem cruris; ita tangens compl. baſis, ad ſinum complementi anguli ab iis comprehenſi.*



Sit datum triangulum *aei*, & in eo baſis *ai* & crus *ae*, ergo per commutationem, datur in triangulo ad verticem *yiu*, crus *ui*, cum *eo* peripheria, quæ eſt anguli menſura ad *y*. ergo per 25 prop. 1 modum datur crus *uy*, cujus compl. *uo* eſt menſura anguli quæſiti *a*. Licebit ſi voles totam demonſtrationem huc quaſi à principio transferre. Sit itaque baſis recti *ai* 47 gr. 30 ſcr. & crus *ae*. 45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.

ut ſin. tot.	ad tang. cr. *ae*,	ita tang. com. baſ. *ai*,
	45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.	47 gr. 30 ſcr.
10000000	10007955	9163312

ad ſin. com. ang. *a*, 9170601, cui debentur 66 gr. 30 ſcr. hujus igitur complementum 23 grad. 30 ſcr. erit menſura anguli *a*, ab ipſis comprehenſi.

II. *Ut*

II. *Ut ſinus totus, ad tangentem compl. cruris dati; ita tangens baſis, ad ſecantem anguli ab ijs comprehenſi.*

Veritas ex appoſito diagrammate, per 25 propoſ. modum ſecundum eſt manifeſta, ſi in triangulo *iuy*, crura *iu uy* complementa laterum datorum in *aei* triangulo aſſumas. Ergo

ut ſin. tot.	ad tang.com.cr. *ae*	ita tang. baſ. *ai*
	45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.	47 gr. 30 ſcr.
10000000	9992053	10913085


ad ſec.ang. *a* 23 gr. 30 ſcr. 10904411.

XXVIII. PROPOSITIO:

Διορισμὸν XIV.

Dato crure & angulo adjacente, datur baſis.

I. FIAT *enim, ut ſinus totus, ad ſinum complementi anguli, ita tangens complem. cruris dati, ad tangentem compl. baſis.*



Sit enim datum triangulum hic *aei*, & angulus *a* cum crure adjacente *ei*, & quæratur baſis *ai*. Vides itaque in triangulo verticali ex his datis dari angulum *y* & crus *uy*, atque inde dari per propoſ. 25 modum primum crus *ui* complementum baſis *ai*. ut hic expreſſimus. Sit igitur crus *ae* 45 grad. 1 ſcr. 22 ſec. & angulus *a* 23 gr. 30 ſcr.

ut ſin. tot.	ad ſin. com. ang. *a*	ita tan. com. cr. *ae*
	23 gr. 30 ſcr.	45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.
10000000	9170601	9992053

ad tang, com. baſ. *ai* 47 gr. 30 ſcr. 9163312.

II. *Vt ſinus totus, ad ſecantem anguli dati, ita tangens cruris, ad tangentem baſis.*

Res in eodem diagrammate ex triangulo *yui* per ſecundum 25 propoſ. modum manifeſta eſt.

ut ſin. tot.	ad ſec. ang. *a*	ita tang. cr. *ae*
	23 gr. 30 ſcr.	45 gr. 1 ſcr. 22 ſec.
10000000	10904411	10007953


ad tang. baſ. *ai*. 47 gr. 30 ſcr. 10913083.

XXIX. PROPOSITIO:

Δεδομένων XV.

Data baſe & obliquo alterutro, datur reliquus angulus obliquus.

I. FIAT *enim, ut ſinus totus ad ſinum complementi baſis; ita tangens anguli dati, ad tangentem complementi obliqui reliqui.*



Sit propoſitum triangulum *aei*, & in eo data baſis *ai*; & angulus *a*; & quæratur angulus *i*. ex datis igitur in triangulo verticali *iuy*, dabuntur quoque crura recti *iu uy*, atque hinc per 24 propoſ. modum primum dabitur angulus *yiu*, cui *ai* ad verticem æquatur. Sit enim *ai* baſis 47 grad. 30 ſcr. & angulus *a* 73 gr. 37 ſcr. 47 ſec.

ut ſin. tot.	ad ſin. com. baſ. *ai*;	ita tang. ang. *a*
	47 gr. 30 ſcr.	73 gr. 37 ſc. 47 ſe.
10000000	6755902	34042258

ad tang. com. ang. *i* 22998425.

Cui cedunt 66 gr. 30 ſc. ejus complem. 23 gr. 30 ſcr. eſt menſura anguli ad *i* reliqui.

II. *Vt*

II. *Vt ſinus totus, ad ſecantem baſis, ita tangens complementi anguli dati, ad tangentem obliqui reliqui.*

Hoc ex ſuperiore facile conſtat adhibita propoſ. 22 & 18 libri primi; vel etiam ex ſecundo modo propoſitionis 24 aſſumi poterit, per triangulum *yui*. Ergo

ut ſin. tot.	ad ſec. baſ.	ita tang. com. ang. *a*,
	47 gr. 30 ſcr.	37 gr. 37 ſcr. 47 ſec.
10000000,	14801872,	2937550,

ad tan. com. ang. *i*, 22998616.


Cui cedit peripheria 66 gr. 30 ſcr. ejus autem complem. 23 gr. 30 ſcr. eſt menſura anguli reliqui ad *i*.

XXX. PROPOSITIO:

Δεδομένον XVI.

Dato utroque angulo obliquo, datur baſis.

I. FIAT *enim, ut ſinus totus, ad tangentem complementi anguli unius; ita tangens complem. obliqui reliqui, ad ſinum compl. baſis.*



Sunto in propoſito tripleuro *aei*, anguli *a* & *i* dati, & quæratur baſis *ai*. Dantur itaque ex his datis in triangulo ad verticem poſito *yui*, crus *uy* & angulus obliquus *i* eidem oppoſitus, ergo per 25 propoſ. modum primum, datur crus reliquum *ui*, ſive complementum baſis quæſitæ *ai*. ſi libet in triangulo *yui* illam demonſtrationem deducas; ſit nunc angulus *a* 23 gr. 30 ſcr. & *i* 73 gr. 37 ſc. 47 ſec. Erit itaque

ut ſin. tot. ad tan.com.ang.*i*, ita tan.com.ang.*a*,
73 gr.37 ſcr.47 ſec. 23 gr.30 ſcr.
10000000 2937564 22998425
ad ſin. com. baſis *ai*, 6755933.
Cui debetur peripheria 42 gr. 30 ſcr. ejus complementum 47 gr,30 ſcr. pro ipſa baſi.


II. *Vt ſinus totus, ad tangentem anguli unius, ita tangens anguli alterius, ad ſecantem baſis.*

Hujus demonſtrationem ex antecedente derivare poteris per propoſ. 14 & 19. lib. primi. aut ex ſecundo modo propoſitionis 25 aſſumere, per data trianguli verticalis *iuy*. Ergo
ut ſin. tot. ad tang. ang.*i*, ita tang. ang.*a*
73 gr.37 ſcr.47 ſec. 23 gr.30 ſcr.
10000000 34042258 4348124
ad ſec.baſ.*ai*, 47 gr.30 ſcr. 14801996.

Sed & prochiron hoc non eſt negligendum, cum primo loco erit ſinus totus, ſecundo autem & tertio ſinus: Nam

XXI. Propositio.

Si peripheria prima ſecundæ complem. addatur, & ab eodem ſubducatur; horum ſinuum differentia erit dupla quarti praportionalis, ſi prima peripheria ſit minor complemento ſecundæ; aut ſumma, ſi maior.



Sint igitur normales diametri *og id*, *cb*, *ve*, & peripheriæ datæ *oc os*, ſeu *oy*, quæ major eſt quam *oe* complementum ipſius *oc*; itaque prima *yo* plus *oe* conflabit peripheriam *ye*, ejus ſinus *ym*; *oy* ſeu *os* minus *oe* relinquet peripheriam *es*, ejus

ejus ſinus *sp*, cui æqualis ſit *mn*; & *ns* ideo contra diametrum *me* parallela; & ab *r* ſit perpendicularis *rt* in radium *ae*, & *rl* in ſinum *ym*; cum itaque *rl sn* eidem *yn* perpendiculares, ſint parallelæ, & inſcripta *ys* biſecetur in *r*, etiam *yn* biſecabitur in *l*; atque ideo recta *yl* dimidia erit compoſitæ ex ſinu *ym* & *mn*. porrò ob ſimilitudinem triangulorum *ryl aip* (nam *ys id* ſunt parallelæ) erit ut *ai* radius, ad *ip* ſinum *vi* ſeu *oc* (nam *ic* eſt complementum commune) ita *ry*, ſinus *oy*, ad eandem *yl*. quod erat membrum prius.

Secundum liquet quoque in eodem diagrammate; ſunt enim *oe* & *ds* ſeu *yi* datæ peripheriæ, & *oe* minor quam *os* complementum ipſius *ds*, erit igitur ut *ao* radius ad *ou* ſinum ipſius *oe*; ita *ar* ſinus *yi*, ad *rt*. Sed eadem *rt* æquatur ipſi *lm*; & cum *yf* ſit ipſi *mn* æqualis, *lm* ſeu *rt* erit æqualis dimidiæ differentiæ inter *ym*, quæ eſt ſinus compoſitæ ex *oe* prima, & *os* ſeu *oy* complemento ſecundæ; & *es* ex ſinu differentiæ earundem; quod erat demonſtrandum.

Quod ſi prima ſit æqualis complemento ſecundæ, aſſumatur alterutrius peripheriæ duplæ ſinus, ejus dimidium erit quarta proportionalis. id enim poſito diagrammate facile liquebit.

Eſto *vi* vel *oc* 71 grad. *oy* vel *os* 45. erit ergo

ut *ai* rad.	ad *ip* ſin. 71 gr.	ita *yr* ſin. 45.	ad
10000000	9455186	7071068	6685826

eundem numerum per proſtaphæreſin invenies hoc pacto,

	oc	71 grad.
	oy	45
Compl.	*oe*	19

Summa *ye* 64 ſin. 8987940
differ. *se* 26 ſin. 4383711

 quia

quia *oc* major eſt quam *eo* complementum ipſius *oy*,
addantur 13371651
dimidium erit 6685825, ſinus idem qui ſupra; cui cedunt 41 gr. 57 ſcr. 28 ſec.

In eodem diagrammate dabitur opus ſubductionis:

Sit enim peripheria *oe* 19. gr. *ds* 45 gr. ergo proſtaphæreticè.

	oe	19.
	ds	45.
Compl.	*os*	71.

Summa 116. 8987940 ſinus.
Differ. 26. 4383711
quia *ds* minor eſt quam *os* ſubd. 4604229
ejus ſemiſſis 2302114, erit quartus proportionalis; quem invenies, ſi ita inſtituas, ut 10000000 ad ſinum 45 grad. 7071068, ita ſinus 19 gr. 3255681, ad 2302114 nempe ut ante cui debentur 13 gr. 18 ſcr. 34 ſec.

Si vero minor ſit majoris complementum, ſumatur ſemiſſis ſinus duplæ alterutrius peripheriç: ut in exemplo,

Datæ peripheriæ ſunto
59 gr.
31 gr. hujus duplum
62 gr. ſinus 8829476
dimid. 4414738 quartus proportionalis.

2. At ſi in altero tantum loco, vel etiam neutro, ſinus puri interveniant, poterit tamen nihilo minus calculus proſtaphæreſi ſpuria, & fictis ſinibus abſolvi. Exemplum ſit è propoſ. 29 ubi data baſe & angulo obliquo reliquus quæritur.

Sitque baſis *ay* 47 gr. 30 ſcr. & angulus *a* 73 grad. 37 ſcr. 47 ſec. Erit itaque

ut ſin.

ut ſin. tot.	ad ſin.com.*ai* 47 gr.30 ſcr.	ita tang. ang.*a* 73 gr.37 ſcr.47 ſec.
10000000	6755902	34042280

ad tang. comp.ang. *i*.

Hic tangens 34042280 pro ſinu eſt habenda, & videndum quæ peripheria in ſinibus ei reſpondeat; & quia ſuperat ſinum maximum, ultima nota erit diſſimulanda, tanquã ſi darentur tantum 3404228 cui cedit peripheria 19 gr. 54 ſcr. 9 ſec. Atque hinc jam locus erit proſtaphæreſi, hoc modo

	gr.	ſcr.	ſec.		
compl.	42	30			
	19	54	9		
	47	30	0		
	67.	24.	9.	9232269	ſin.
	27.	35.	51.	4632575	ſin.
				4599694	
				2299847	dimid.

Ergo factus per radium diviſus eſſet 2299847, ſed cum unam notam ſupra è tangente detriverimus, ea nunc eſt adjicienda, ut nempe ſit 22998470 pro tangente complem. anguli *i*, cui cedit peripheria 86 grad. 30 ſcr. ipſeque adeo angulus quæſitus erit 23 gr. 30 ſcr. Qui magno canone operis Palatini uti volet, qui ad dena ſecunda ad radium decem notarum eſt ſubductus; cuique ad dena ſecunda tantum calculum inſtituere ſatis ſit, illi hæc numeratio facile fluet, neque quidquam habebit remoræ.

3. Si neutro loco ſinus interveniat, uterque numerus pro ſinu erit habendus, & ipſis ſuæ peripheriæ aſſignandæ, atque inde reliqua ut ſupra.

4. Et rurſum ſi radius non ſit loco primo, ſed ſecundo aut tertio: nam per propoſ. 18 lib. 1. ſinus eſt

ad radium, ut radius ad ſecantem complementi, quamobrem ſi proponatur

ut ſinus ad ſinum totum, ita ſinus
40 gr. 30 ſcr. 10000000, 73 gr. 45 ſcr. ad quem?
Erit quoque ideo
ut ſin. totus ad ſecant. compl. ita ſinus
10000000 40 gr. 30 ſcr. 73 gr. 45 ſcr. ad quartum.

Atque ita tibi opus antecedens factionis ſecundæ redit, ut per ſolam proſtaphæreſin ad eam rem via ſit expedita.

Denique ſi nullo loco ſinus totus detur, proſtaphæreſis tamen neque hic te deſtituet: poteſt enim ea proportio in duas reſolvi ut radius interveniat; quemadmodum ſi proponatur

ut tang. ad tang. ita ſecans
60 gr. 49 gr. 40 gr.
17320508, 11503684. 13054073
Hæc ita diſpunges, ad quem?
ut tang. ad tang. ita
60 gr. 49 gr. 10000000, ad quartum
Et ut ſin. tot. ad inventum, ita ſecans
10000000 40 gr.
13054073 ad quæſitum;

vides hic quartum in prima proportione per proſtaphæreſin inveniri ex modo tertio, & rurſum quartum & quæſitum terminum ex modo ſecundo: ipſe ſi libet opus perſequitor, ſi tibi ea res tanti videatur, mihi indicaviſſe ſatis eſt, ut eo modo utatur qui volet.


Proſtaphæreſin puram quis primus invenerit ſententiæ variant, & quiſque eum ferè pro autore habet, à quo primum eam hauſit: Ego plane ita judico, eum primum eam repperiſſe, qui nobis analemma deſignavit, unde per ſinus ex data hora ſolis altitudo

altitudo ſubducitur. Atqui inquies id jam antiquum commentum eſt, neque hoc demum ſeculo proditum, rectè inquam. At hoc volebam, qui hoc ſeculo nobis tabulam ſinuum ad radium millenarium, nempe 10000000 ſubduxit; atque is Regiomontanus fuit, ut opinor: quamobrem iſte quoque in illos analemmatum abacos hanc proſtaphæreſin intuliſſe cenſendus eſt: at forſan non ubique ubi ſinus eſſent ſecundo & tertio loco; fateor quidem id verum eſſe poſſe, at facile iſtinc fuit iſta derivare, & à tam nobili exemplo ad alia eam analogiam tranſferre: ego interim nemini præjudicatum velim; certe cum nemo ſe ejus autorem profiteatur, ego quod vero-ſimillimum eſt ſequi malui, cum eadem omnino via & demonſtratio in analemmate extet, quando ex data ſolis declinatione ſinus horæ ſextæ quæritur.

Porrò obliquangula tripleura ſphærica reductione ad rectangula ſolvi poſſunt, & poſſunt quoque abſque ea: ſed ut rectangulorum uſus ſit illuſtrior, eam reductionem primo loco expendemus, & alteram ſolutionem libro ſequenti: nam uterque modus ſuo loco adhibitus non tantum ſummam delectationem, ſed utilitatem quoque habet oportunam.

XXXII. PROPOSITIO.

Si tripleuri anguli ad baſin obliqui, fuerint affectionis eiuſdem, perpendicularis à vertice cadet etiam intra. at extra tantum ſi diverſa.



Sit *aei* tripleurum, cujus anguli ad baſin *ai* ambo ſint obtuſi, ajo perpendicularem à vertice *e* ductam baſin *ai* interſecare: continuetur enim baſis *ai* in circulum *aisu*, cujus ipſa eſt pars; ſitque hujus circuli polus *n*; is intra crura *ae ei* ſitus erit: nam ſi intervallo *in* deſcribatur peripheria *ns*, hæc quadranti æqualis erit; atqui angulus *eis* eſt acutus, & *rs* menſura ejus, per conſect. 1 propoſ. 6. erit itaque iſta *rs* quadrante minor, & *ns* ideo hac major; idem parte altera de angulo *eau* judicium eſto: nam *lm* minor eſt quadrante *ln*. Quamobrem perpendicularis ab *e*, per *n* polum educta cadet inter crura *ea ei*. Haud alia ratio eſt in triangulo *neo*: nam ſi peripheria per *n* & *e* educta, extra *ai* caderet, debebat *ey* ipſam *ei* peripheriam ſemicirculo minorem, interſecare ante quam ad *i* pertingeret. quod abſurdum per ſe eſt manifeſtum.

At vero ſi alter eorum ſit obtuſus, reliquus acutus, ut in triangulo *uea*; vides hic ex demonſtratis ſemicirculum perpendicularem *feny* neceſſaria extra baſin *au* cadere, quod erat demonſtrandum.

XXXIII. PRO-


XXXIII. Propositio.

Si tripleurum ſphæricum eſt æquicrurum, perpendicularis à vertice, angulum & baſin biſecat.

IN eodem diagrammate in triangulo *ueo*, ſunto *ue eo* crura æqualia, atque *ef* perpendicularis: itaque per prop. 27 ut ſinus totus ad tangentem cruris, ita tangens baſis, ad ſinum anguli ab ijs comprehenſi; ſed in triangulis *uef oef, fe ue, fe oe* ſunt æquales, ergo quartus proportionalis idem, & peripheriæ eis debitæ quantitate eædem: idem judicium eſto de ſegmentis baſis *uf fo* per propoſ. 17.

XXXIV. Propositio.

Si tripleurum ſphæricum eſt acutangulum, ſingula latera quadrante ſunt minora. 9 pr. l. 4 Reg.



ESTO in diagrammate, propoſitum triangulum acutangulum *aei*, ajo latera *ae ei iu* ſigillatim eſſe quadrante minora: ſunto enim *io eo* peripheriæ perpendiculares ad baſin *ei*, eæ ad baſin angulos majores datis acutis *e, i*, conſtituent, & ſupra verticem *a* concurrent in polo *o*. per. conſ. 2. pr. 3. perpendicularis itaque ab *o* polo per *a* verticem demiſſa, interſecabit per propoſ. penultimam, baſin *ei*, ut puta in *u*, & fiet *uai* pars acuti, ad *a* quoque acutus. atque uterque angulus *uai uia* in triangulo rectangulo acutus; & ideo per propoſitionem 10, baſis *ai* quadrante minor. idem quoque de *ae* judicium eſto; eademque via de

via de *ei* quoque conficietur ad *a* & *i* excitatis perpendicularibus.

XXXV. Propositio.

Datis tripleuri ſpharici lateribus, angulus dato lateri oppoſitus cuiuſnam ſit affectionis definire.

IN planorum triangulorum lateribus hæc inſunt τεκμήρια, ut anguli qui dato lateri opponitur, affectionem ſtatim invenire queas, etiamſi ejus amplitudinem definite explicare nequeas: nam ſi baſis plus poteſt cruribus angulus ei ſubtenſus erit obtuſus; ſi æque, rectus, ſi minus acutus: ita hic aliquando uſui; quandoque etiam eſt neceſſarium, ut nobis conſtet cujuſnam affectionis ſit optatus aliquis in dato tripleuro angulus; nam ipſa accurata veritas hic nondum quæritur; eſt autem hic pro laterum affectionibus ea determinatio varia. Nam

1. Cum crura erunt affectionis diverſæ, & baſis quadrante non major, angulus ab ijs comprehenſus erit acutus:

2. At cum crura erunt affectionis ejuſdem, & baſis quadrante non minor, angulus ab ijs comprehenſus erit obtuſus.

Hoc utrumque enim ex undecima propoſitione conſequitur: Nam ſi in triangulo rectangulo, crura anguli recti ſint affectionis diverſæ, baſis eſt quadrante major; imminuta igitur baſi, ut ea ſit vel quadrans vel quadrante minor, etiam angulus minuetur, & pro recto fiet acutus.

Secundus caſus ex eodem theoremate eſt manifeſtus: Nam ſi in triangulo rectangulo crura ſint affectionis ejuſdem, baſis eſt quadrante minor; quare ſi baſis augeatur, ut ea quadrantem æquet, vel

vel etiam excedat, efficitur utique angulum oppoſitum adaugeri, & ex recto fieri obtuſum.

3. Cum autem crura erunt affectionis ejuſdem, & baſis quadrante minor, ſi tum ſinus complementi baſis eſt major facto ſub ſinibus à crurum complementis per radium diviſo, angulus eſt acutus, ſi minor obtuſus, ſi æqualis, rectus.

Id enim patet ex propoſ. 17 & propoſ. 11. nam ſi cruribus recti anguli datis, baſis quæratur, erit, ut ſinus totus, ad ſinum complem. cruris unius, ita ſinus compl. reliqui, ad ſinum complem. baſis recti; ergo ſi complementum baſis in dato triangulo hunc excedat, indicium eſt iſtam baſin minorem eſſe baſe recti; aut ſi excedatur majorem, & illic acutum hic angulum eſſe obtuſum.

4. Cum crura erunt affectionis diverſæ, & baſis quadrante major: ſi tum ſinus complementi baſis eſt major facto ſub ſinibus qui ad crurum complementa pertinent, angulus eſt obtuſus, cum minor acutus: ſi æqualis, rectus: Id enim ut tertium ex iiſdem locis derivatur.

Sed hoc utrumque compendioſè per ſolam proſthaphæreſin expediri poteſt: ſit enim pro tertio caſu crus *ae* 44 gr. 43 ſcr. *ei* 73 gr. 25 ſcr. *ai* 71 gr. 20 ſcr. & quæratur cujuſnam affectionis ſit angulus ad *e* cui opponitur latus *ai* in tripleuro *aei*.

	gr.	ſcr.	
Compl. crurum ſunt *ae*,	45.	17.	
ei,	16.	35.	
	44	43	
	61	18.	8771462
	28	8.	4715250
			4056212
			2028106


quare

quare factus à complementorū ſinibus eſt 2028106 ſinus autem complementi baſis *ai* 71 gr. 20 ſcr. eſt 3200619 major iſto; quare angulus ad *e* eſt acutus: ſi minor foret eſſet obtuſus per 3 determinationem: vel hoc modo, quia hujus inventi ſinus 2028106, complemento reſpondet peripheria 78 gr. 18 ſcr. ut proximè, indicium eſt, baſin recti majorem eſſe hac peripheria, atque ideo hunc angulum ad *e* acutum eſſe. Haud alia eſt ratio determinationis tertiæ: prima & ſecunda abſque ullo calculo ſe ipſas explicant.

XXXVI. PROPOSITIO.

Si perpendicularis cadat à vertice tripleuri, in baſin, ſinus complementi interſegmentorum baſis ab angulis ad perpendicularem; ſinibus complementorum crurum conterminorum ſunt proportionales.

ESTO tripleurum *aei*, & perpendicularis ab *a* in baſin *ei* demiſſa ſit *ao*, quæ in primo dia-




grammate intra, in ſecundo extra triangulum cadit, ajo igitur, ut ſinus complementi *ae*, ad ſinum complementi lateris *ai*, ita interſegmentum *eo* à crure primo *ae* & perpendiculari *ao* interceptum, ad interſegmentum ſecundum *oi*: ſunt enim *aeo aoi*, tripleura rectangula: atqui per prop. 17 primum modum, in rectangulis eſt, ut ſinus totus, ad ſecantem cruris, ita ſinus compl. baſis, ad ſinum compl. cruris reliqui; erit igitur quemadmodum ſinus totus, ad ſecantem cruris *ao*, ita ſinus compl. baſis *ae*, ad ſinum compl. cruris *oe*.

cruris *oe*, & ſic quoque ſinus compl. baſis *ai*, ad ſinum complem. cruris *oi*. Et ideo quoque, ut ſinus complementi *ae*, ad ſinum complem. *oe*: ita ſinus complem. *ai* ad ſinum complem. *oi*. & alterne, ut ſinus complem. *ae*, ad ſinum compl. *ai*; ita ſinus complem. *eo*, ad ſinum complem. *oi*.

LEMMA, ad id quod ſequitur.

Si duæ datæ peripheriæ ſint affectionis eiuſdem differentia peripheriarum complementorum differentiæ æqualis eſt: at earundem ſummæ differentia à ſemicirculo, complementorum ſummæ eſt æqualis.



SUnto datæ *ae ai* primũ quadrante minores, hic *ei* eſt earum differentia, & eadem quoque complementorum *oe oi*. res eadem erit ſi ambæ ſint majores, ut ſi datæ ſint *ue* & *ui*, earum differentia rurſum erit *ei*.

Secundò dentur peripheriæ *uy* & *ai*, harum ſummæ differentia à ſemicirculo eſt *yi*, quæ complementorum ſummæ eſt æqualis. res eadem erit ſi ambæ ſint quadrante majores ut *ui* & *ay*, eæ enim ſemicirculum excedunt ſuorum complementorum ſumma *yi*.

II. LEMMA.

Si duæ peripheriæ ſint affectionis diverſæ, differentia peripheriarum, complementorum ſummæ æqualis eſt: at earundem ſummæ differentia à ſemicirculo æquatur complementorum differentiæ.

VT in eodem diagrammate *iu* major, *ae* minor, ſummæ à ſemicirculo differentia eſt *ei*. & eadem

dem quoque eſt differentia complementorum *oe* & *oi.* vel ſi *ue* & *ai*, aſſumantur, datæ iſtæ ſemicirculum excedunt peripheria *ei*; & eadem *ei* differentia eſt inter complementa *oe* & *oi.*

Secundò dentur peripheriæ *euy* minor & *ui* major, harum differentia *yi*, æquatur ſummæ complementorum earundem *yo*, & *oi*.


CONSECTARIUM.

Itaque

Datis lateribus tripleuri, dantur interſegmenta baſis, inter crura & verticis perpendicularem intercepta.

OPORTET autem ſciri utrum perpendicularis intra, an verò extra triangulum cadat; id autem è propoſitione 35 ubi angulorum ſpecies definitur, & è 32 ubi ex his perpendicularis caſus oſtenditur, conſtare poteſt; neque ſemper neceſſum eſt, utrumque angulum tentari: nam ex unius ſpecie, nonnunquam alterius quoque ſpecies ſtatim liquet. Ut ſi angulus majori cruri oppoſitus acutus deprehendatur, etiam is qui minori opponitur acutus erit; aut ſi is qui minori cruri opponitur obtuſus deprehendatur, etiam is qui majori opponitur obtuſus erit.

Sed uno aut altero exemplo hoc theorema per numeros illuſtremus; ita enim ejus uſus erit manifeſtior, & minus lubricus. Sit igitur in primo diagrammate latus *ai* 73 gr. 25 ſcr. & *ei* 44 gr. 43 ſcr. *ae* 71 gr. 20 ſec. 30 ſec. & quæratur angulus *aie*. Hic jam primum *aei* ſecundum præcepta propoſ. 35 acutus invenietur,




tur, atque ideo *aie* angulus minori lateri oppoſitus itidem acutus erit, & perpendicularis ex vertice *a* cadet intra triangulum. Sed cum *ei* tota ſit minor quadrante, multo etiam magis ſingula ſegmenta *eo* & *oi*. atque ideo per lemma primum, eorum ſummæ differentia à ſemicirculo, complementorum ſummæ erit æqualis, nempe 135 gr. 17 ſcr. atqui per propoſ. 36, ratio ſinuum qui ad ſingulas peripherias pertinet datur, nempe ea quæ eſt complementorum laterum conterminorum; Eſt igitur ratio complem. *eo*, ad complem. *oi*, quæ 3199240 ad 2854096. Fiat igitur per conſect. 1. pr. 13 l 1. ut horum ſumma 6053336, ad eorundem differentiam, 345144. ita tangens dimidiæ peripheriæ 135 gr. 17 ſcr. nempe 24311982 ad 1386213 tangentem dimidiæ differentiæ 7 gr. 53 ſcr. 34 ſec. quæ ad ſummæ dimidium 67 gr. 38 ſcr. 30 ſec. addita, & ab eodem ſubducta, dabit peripherias 75 gr. 32 ſcr. 4 ſec. & 59 gr. 44 ſcr. 36 ſec. quæ ſunt ſegmentorum baſis complementa; cumque minoris peripheriæ majus ſit complementum, erit ipſa *oe* 14 gr. 27 ſcr. 56 ſec. & *oi* 30 gr. 15 ſcr. 4 ſec.

Eſto nobis exemplum alterum in eodem diagrammate, nempe *ai* 160 gr. *ae* 15 gr. & baſis *ei* 170 gr. & quærantur ſegmenta baſis *io oe*. Hic primum per præcepta propoſ. 35 angulorum in baſi *e*, *i*, ſpeciem invenies: nempe eos eſſe acutos, & ideo per propoſ. 32 perpendicularem *ao* intra triangulum cadere intelliges; Sed cum *ae* baſis recti ad *o* ſit minor quadrante, & angulus ad *e* acutus, perpendicularis *ao* minor erit quam *ae*. Sed cum in triangulo rectangulo *aoi*, baſis ſit quadrante major, crura *ao oi* erunt affectionis diverſæ, & *oi* ideo major quadrante; quamobrem horum crurum *eo* & *oi* differentia à ſemicirculo, complementorum

differentiæ erit æqualis, per lemma 2. ea igitur erit 10 gr. Atqui per lib. 1. pr. 13 conſ. 2. data ratione ſinuum, & differentia peripheriarum, dantur ſingulæ: Nam complementum *ai* 70 gr. ejus ſinus 9396926. complementum *ae* 75 grad. ſinus 9659258, differentia 262332, ſumma 19059184, tangens dimidiæ differentiæ complementorum *eo* & *oi*, nempe 5 gr. eſt 874887: inde dabitur dimidia complementorum ſumma 81 grad. 3 ſcr. $26\frac{45}{100}$ ſec. atque ideo ſingula complem. 86 gr. 3 ſcr. $26\frac{45}{100}$ ſec. & 76 gr. 3 ſcr. $26\frac{45}{100}$ ſec. Cumque *io* ſit major quadrante, & *eo* minor, illi minus complementum & huic majus erit imputandum: quare *ia* erit 166 gr. 3 ſcr. $26\frac{45}{100}$ ſec. & *eo* 3 gr. 56 ſcr. $33\frac{55}{100}$ ſec.

Et tertium huc accedat exemplum. ſit latus *ai* 160 gr. *ae* 15 gr. & baſis *oi* 162 gr. 6 ſcr. $52\frac{2}{10}$ ſec. & quæratur ſegmenta ad verticis perpendicularem *io* & *eo*. Hic primum per prop. 35



invenietur angulus *aie* acutus, & *aei* obtuſus; itaque per prop. 2 perpendicul. *ao* cadet extra triangulum, & *ie* erit differentia ſegmentorum *io* & *oe*. & per 2 lemma eadem 162 grad. 6 ſcr. $52\frac{2}{10}$ ſec. complementorum ſummæ æqualis erit. ideoque per conſ. 1 propoſ. 13 lib. 1. dabuntur ſingula complementa: nempe ſi fiat ut ſumma 19056184, ad differentiam 262332, ita tangens 81 grad. 3 ſcr. $26\frac{45}{100}$ ſec. 63549080, ad tangentem dimidiæ differentiæ 874832. cui cedunt gr. 5. atque hinc complementa ſingularum dantur 86 grad. 3 ſcr. $26\frac{45}{100}$ ſec. & 76 grad. 3 ſcr. $26\frac{45}{100}$ ſec. & ipſa *io* peripheria 166 gr. 3 ſc. $26\frac{45}{100}$ ſec. atque *eo* 3 gr. 56 ſc. $33\frac{55}{100}$ ſec. Hanc varietatem ſingulis exemplis expreſſimus, ut viam

viam tyronibus ſterneremus : habet enim hoc exercitium aliquam voluptatem cum utilitate conjunctam.

XXXVII. Propositio.

Datis tripleuri lateribus, angulos invenire.

HActenus quidem perpendicularis à cruribus diſtantiam novo modo inveſtigavimus: ſupereſt ut ejuſce uſum porrò oſtendamus. Sit itaque in diagrammate primò propoſitionis antecedentis, *ae* 71 grad. 20 ſcr. 30 ſec. *ai* 73 gr. 25 ſcr. & *ei* 44 gr. 43 ſcr. ut in primo antecedentis conſectarij exemplo: & hinc jam dantur nobis ſegmenta *io* 35 gr. 15 ſcr. 4 ſec. & *oe* 14 gr. 27 ſcr. 56 ſec. unde in triangulo rectangulo *aio* dabitur angulus *i*, per propoſ. 27, ſeu rectangulorum διδομένον XIII. Data baſe & crure, datur angulus ab ijs comprehenſus: Nam ut ſinus totus 10000000; ad tangentem complem. baſis *ai* 2977962, ita tangens cruris *oi* 5832088 ad ſinum complem. anguli *i* 1736773 cui cedunt 10 gr. 0 ſcr. 6 ſec. ejus complementum igitur 79 grad. 59 ſcr. 54 ſec. pro angulo *i*; nam is ante acutus nobis eſt inventus.

Hac eadem via è triangulo *aoe*, invenietur angulus *e* 85 gr. Et per διδομένον III ambo anguli *eao oai* ſimul 47 gr.

Si perpendicularis cadat extra, inventis ſegmentis ut prius, anguli per eaſdem propoſitiones inveſtigabuntur, ut ante.


Atque ita reductione obliquanguli trianguli ad rectangula, anguli nobis quoque ſunt inventi, at contra, Regiomontanus etiam docuit ſimili reductione, è datis angulis trianguli latera invenire,

L 2 quam

quam ad rem hoc theorema prævium propoſuit & demonſtravit.

XXXVIII. PROPOSITIO.

Si ſit perpendicularis à vertice tripleuri in baſin, ſinus angulorum à cruribus ad perpendicularem comprehenſorum, ſinibus complementorum angulorum in baſi proportionales ſunt. 20 *pr. l.* 4 *Regiomont.*



VT in diagrammate, *eo* perpendicularis ſit à vertice in baſin *ai*, quæ utrum extrà, an intra triangulum cadat nihil refert: cum enim per propoſitionis 19 modum primum, ſit, ut ſinus totus, ad ſinum complementi cruris, ita ſinus anguli adjacentis, ad ſinum complem. anguli dato cruri oppoſiti: erit igitur ut radius, ad ſinum complem. *ao*, ita ſinus *aeo*, ad ſinum complem. ad *a*: & ita quoque ſinus *ieo*, ad ſinum complem. ad *i*. Quamobrem erit alternis, ut ſinus complem. anguli *a* ad ſinum complem. *i*, ita ſinus *aeo* ad ſinum *ieo*. quod erat demonſtrandum.

Hinc igitur datis angulis trianguli, & ab angulo quocunque perpendiculari in latus oppoſitum demiſſa, dantur anguli ſingulares, ab ejus cruribus & perpendiculari comprehenſi: utrum verò perpendicularis demiſſa extra an intra triangulum cadat, id anguli ad baſin coarguent: cum enim affectionis ejuſdem erunt, perpendicularis cadet intra, cum diverſæ extra, per propoſ. 32.

Dentur igitur in triangulo *aei*, angulus *a* 85 gr.
e 80

e 80 gr. *i* 47 gr. & perpendicularis ab *e* ſit *eo*, quæ baſin *ai* interſecabit, quia anguli ad *a* & *i* hic ſunt acuti: ſinus complementi *a* eſt 871557 & ſinus complementi *i* eſt 6819984. Horum ſumma 769-1541, differentia 5948427, angulus ad *a* 80 gr. qui ſecundum has rationes eſt dividendus, per prop. 13 lib. ſecundi; Vt ſumma, ad differentiam, ita tangens dimidiæ peripheriæ, ſeu dimidij anguli *a* 40 grad. 8390996, ad tangentem dimidiæ differentiæ 6489366, cui cedunt 32 grad. 58 ſcr. $51\frac{2}{3}$ ſec. qui ad illum ſemiſſem additi, dabunt 72 grad. 54 ſcr. $51\frac{2}{3}$ ſec. pro angulo *oei*, qui majori cruri adjacet, majus autem crus majori quoque angulo opponitur; & indidem ſubducti dabunt reliquum minorem *aeo* 7 gr. 1 ſcr. $8\frac{1}{3}$ ſec.

Si perpendicularis *eo* cadat extra, ut in diagrammate ſecundo, ubi angulus *eai* datur 95 grad. *aei* 65 grad. 57 ſcr. $43\frac{1}{3}$ ſec. *i* 47 grad. tum *aei* differentia angulorum *oei aei* dari intelligitur: fiat itaque ut differentia ſinuum qui pertinent ad complementa angulorum in baſi 5948427, ad eorundem ſummam 7631541: ita tangens dimidij anguli verticalis *aei* 6489368, ad 8390998 tangentem dimidiæ ſummæ: dantur itaque ſinguli anguli *oei* 72 gr. 58 ſcr. $51\frac{2}{3}$ ſec. & *oea* 7 gr. 1 ſcr. $8\frac{1}{3}$ ſec. quemadmodum imperabatur.

XXXIX. Propositio.

Datis tripleuri angulis, latera invenire.

Oportet autem datos angulos, duobus rectis eſſe majores, & ſex rectis minores; ſed ita ut duorum maximorum à quatuor rectis differentia, addito minimo, duobus item rectis ſit major, per conſ.2 propoſ.7 ſecus operam luſeris.

Sunto itaque in triangulo *aei*, anguli dati, & *a* quidem 85 gr. *e* 80 gr. *i* 47 gr. & quærantur latera *ae ei ai*.

Demiſſa itaque perpendiculari à quocunque angulo, puta *e* in baſin *ai* inventi ſunto per antecedentem, anguli à cruribus & perpendiculari comprehenſi *aeo* 7 gr. 1 ſcr. $8\frac{1}{3}$ ſec. & *oei* 72 gr. 58 ſcr. $51\frac{2}{3}$ ſec. Datis itaque in triangulo *eao* rectangulo, duobus angulis *oae aeo*, dabitur baſis per propoſ. 30. Nam ut 10000000, ad tang. complem. anguli *eao*, 3060930, ita tang. compl. *e*, ad 2854363. ſinum complem. baſis *ae*, cui cedunt 16 gr. 35 ſcr. 6 ſec. & ejus complementum pro ipſa baſi 73 grad. 24 ſcr. 54 ſec.

Eadem ratione concludes latus *ei* 44 gr. 43 ſcr. 1 ſec.

Tum etiam ſegmenta baſis per propoſit. 14. *oi* 66 gr. 24 ſcr. $33\frac{1}{3}$ ſec. & *oa* 4 grad. 55 ſcr. $59\frac{2}{3}$ ſec. quorum ſumma, quia *eo* perpendicularis baſin ſecat, dabit totam *ai* 71 gr. 20 ſcr. 33 ſec.


Si, ut in ſecundo diagrammate, perpendicularis cadat extra triangulum, ubi angulus verticis *aei* datur 65 gr. 57 ſcr. $43\frac{1}{3}$ ſec. *a* 95, & *i* 47. tum *oa* & *oi* dabit baſin *ai* 61 gr. 28 ſcr. 34 ſec.

XL. Pro-

XL. PROPOSITIO.

Datis lateribus duobus, & angulo ab iis comprehenſo, reliquum latus & angulos invenire.

ET hoc quoque adhibita reductione ad rectangula nunc abſolvemus, poſtmodum etiam abſque ea. Sit igitur triangulum datum *iae*, cujus angulus *aei* ſit 80 gr. ejus crura *ae* 73 gr. 25 ſcr. *ei* 44 gr. 33 ſcr. hic à termino cruris alterius ut *a*, in reliquum crus *ei*, perpendicularis *ao* eſt demittenda, ita enim reſolutio oportuna erit, ut reliqui termini tuto & conſtanter inveniri poſſint. itaque in triangulo *oea* ex data baſe recti *ae*, & angulo *e*, dabitur per propoſit. 14 perpendicularis *ao* 70 gr. 42 ſcr. 25 ſec. Et per propoſ. 29. angulus *oae* 31 gr. 42 ſcr. 42 ſec.



Denique per propoſ. 26. invenietur crus *oe* 30 gr. 15 ſcr. 2 ſec. Hujus & lateris dati *ei* differentia, eſt 14 grad. 27 ſcr. 58 ſec. pro *oi*. & quia *ei* majus eſt quam *eo*, efficitur perpendicularem *ao*, cadere intra triangulum, atque angulum ad *i* acutum eſſe, cum *e* datus quoque ſit acutus.

Inde datis cruribus recti *ao* 70 gr. 42 ſcr. 25 ſec. & *oi* 14 gr. 27 ſcr. 59 ſec. dabitur per propoſit. 18. baſis *ai* 73 gr. 25 ſcr. 0 ſec.

Et angulus *aio* 85 gr. 0 ſcr.

Ac denique *iao* 15 gr. 17 ſcr. 18 ſec. qui ad angulum *oae* 31 gr. 42 ſcr. 42 ſec. additus, dabit totum *eai* 46 gr. 59 ſcr. 56 ſec.

At vero ſi, ut in ſecundo diagrammate, perpendicularis extra cadere deprehendatur, quia *ea* ma-

major ſit quam datum latus *ei*: tum aſſumenda erit differentia inter *eo io*, unde dabitur iſto caſu *ei* 15 grad. 47 ſcr. 4 ſec. Et ex angulorum *eao iao* differentia, dabitur angulus *eai* 16 gr. 25 ſcr. 24 ſec.

XLI. PROPOSITIO.

Dato latere tripleuri & angulis duobus eidem adjacentibus, reliqua latera & angulum invenire.

ESTO propoſitum triangulum in eodem diagrammate *aei*, deturque latus *ae* 73 gr. 25 ſcr. o ſec. & angulus ei adjacens *aei* 80 gr. & alter *iae* 46 gr. 59 ſcr. 56 ſec. & quærantur latera *ai*, *ie*, cum angulo reliquo *i*. Ut igitur termini ad ſolutionem idonei ſint illibati, demittam perpendicularem ab alterutro augulorum datorum in latus oppoſitum, ut hic *ao*, ab angulo dato *a* in latus ignotum *ei*, quæ utrum extra an intra triangulum cadat ex quantitate anguli *eao* evincetur: is enim ſi minor inveniatur dato *eai*, tum perpendicularis cadet intra triangulum; at extra, ſi major. Cum igitur in triangulo rectangulo detur baſis recti *ae* 73 gr. 25 ſcr. & angulus *aeo* 80 grad. inde quoque per propoſitionem 14. dabitur perpendicularis *ao* minor quadrante per propoſ. 11 uel quia *aeo* angulus oppoſitus acutus eſt: erit itaque *ao* 70 gr, 42 ſcr. 25 ſec.

Inde etiam crus *oi* erit ejus affectionis, cujus eſt *oa*, nempe quadrante minus per converſam propoſ. 9 & per converſam prop. 10 angulus *oae* quoque acutus.

Itaque porrò per propoſit. 26. Dabitur crus *eo* 30 gr, 15 ſcr. 2 ſec,

Et per propoſitionem 29, angulus *oae* 31 gr. 42 ſcr. 42 ſec, qui minor eſt dato *eai* 46 grad. 59 ſcr. 56 ſec,

56 ſec. reliquus itaque *iao* dabitur quoque 15 gr. 17 ſcr. 14 ſec.

Atque hinc denuo datis in triangulo rectangulo *aoi*, crure recti *ao*, & angulo *iao* adjacente, dabitur per propoſit. 19 *oia* angulus, hoc caſu minor recto, per propoſ. 8, 84 gr. 59 ſcr. 59 ſec.

Et quia uterque angulus in baſi *ai*, eſt ejuſdem affectionis, baſis *ai* quadrante minor eſt per prop. 10. Ejus autem quantitas invenietur per propoſit. 28. 73 gr. 25 ſcr.

Denique cum per converſam 9 propoſ. *oi* crus ſit minus quadrante: nam baſis *ai* eſt quadrante minor, efficitur quantitas cruris *oi* 14 grad. 27 ſcr. 58 ſec. quæ hoc caſu addita ad *oe* 30 gr. 15 ſcr. 2 ſec. dabit totum latus *ei* 44 gr. 43 ſcr.

Si perpendicularis *ao* caderet extra, ſumenda eſſet differentia angulorum *eao*, *eai*, & ſegmentorum ad perpendicularem *eo*, *oi*.

IDEM ALITER.

Sed licet idem etiam aliter præmiſſo hoc lemmate.

SINVS *interſegmentorum baſis, tangentibus complementi angulorum conterminorum ſunt proportionales.*

Eſto enim in eodem diagrammate tripleurum *eai*, & *ao* perpendicularis ab *a* in baſin *ei*. Erit itaque per propoſ. 25. ut ſinus totus, ad tangentem cruris recti *ao*, ita tangens complementi anguli oppoſiti *i*, ad ſinum cruris adjacentis *oi*. & ita tangens complementi anguli *e*, ad ſinum cruris *eo*. ut itaque tangens complem. *i*, ad tangentem compl. *e*: ita ſinus *oi*, ad ſinum *oe*. data autem ratione ſinuum *io oe*, & ipſa peripheria *ei*, dabuntur ſingulæ per propoſ. 13 lib. 1.

lis tripleuris nuntium remiſſuri, & omnia abſque his explicaturi.

Eſto itaque triangulum propoſitum ut ante, *aei* prius, & ſunto data latera *ae* 71 gr.20 ſcr.30 ſec. *ai* 73 gr.25 ſcr.atque angulus *aie* 80 gr.0 ſcr. & quæratur angulus *e*. Demittatur itaque perpendicularis *ao* ab angulo *a* abs datis cruribus comprehenſo, ut ſalvi ſint & illibati termini qui ad ſolutionem ſunt idonei. Hic itaque primum per prop. 14 in tripleuro rectangulo *iao*, ex angulo *i* & baſe *ai* invenies perpendicularem *ao* 70 gr.42 ſcr.28 ſec. inde per propoſ. 16 in tripleuro rectangulo *eao*, ex baſi *ae*, & crure *ao*, invenies angulum *aeo*: is autem acutus eſt per propoſ. 10. nempe 85 gr.0 ſc.18 ſec. verum an angulus *iea* in ipſo triangulo, acutus ſit ille, an verò obtuſus 94 gr.59 ſc.42 ſec. id nondum liquet, ut in appoſitis diagrammatis videre eſt: Itaque ejus ſpecies neceſſariò definiri debet; ſunt tamen caſus quidam qui determinationem à ſe ipſis proferant.

1 Ut, ſi angulus ille ad *e* rectus inveniatur.

2 Vel, ſi angulus majori lateri oppoſitus detur acutus, tum is qui reliquo minori lateri opponitur quoque acutus erit.

4 Vel, ſi angulus minori lateri oppoſitus detur obtuſus, tum is etiam qui reliquo majori opponitur obtuſus erit.

4 Si latera ſint æqualia etiam angulos æquari manifeſtum eſt.


5 Denique ſi angulus datus acutus ſit, latuſque ei adjacens majus quadrante, oppoſitum verò non minus illius reſiduo, angulus priori lat. oppoſitus tantum obtuſus erit: ſin ang. datus ſit obtuſus, & latus adjacens minus quadrante, alterumq; minus hujus reſiduo, angulus priori oppoſitus tantū acutus erit.

XLIII. PRO-

XLIII. PROPOSITIO.

Datis duobus tripleuri angulis, & latere uni eorum oppoſito, latus reliquo angulo oppoſitum invenire.

ET hoc problema ferè eſt anceps: ſit enim in tripleuro *aei* diagrammatis propoſ. 38, angulus *a* 85 gr. & *i* 80, & latus *ae* 71 gr. 20 ſcr. 30 ſec. ſitque ab angulo *e* perpendicularis *eo*: quare in triangulo rectangulo *aeo* datur baſis *ae*, & angulus *a*, unde per 14 propoſ. dabitur perpendicularis *eo* 70 gr. 42 ſcr. 24 ſec. Hinc in tripleuro rectangulo *ieo*, dato crure recti *eo*, & angulo oppoſito *i* 80 gr. dabitur quoque baſis *ei* complementum per prop. 15. 16 gr. 34 ſcr. 50 ſec. Atqui ex determinatione iſti propoſ. 15 adjecta, debet definite conſtare, utrum baſis quadranti cedat an præſtet; id autem ex datis non ſemper elici poteſt, ut in hoc altero diagrammate:



Sint enim *yei*, *yai* ſemicirculi, & ex *e* duæ peripheriæ æquales *ea*, *eu*, atq; ita anguli *y* & *u* in tripleuro *eyu*, angulis *a* & *i* in tripleuro *aei* æquales quidem erunt, & latus *ae* lateri *au*: quamobrem non conſtabit continuò, an ex ijs datis quæratur *ei* peripheria minor quadrante, an verò *ye* major; Quare id complementum quod ſupra nobis eſt inventum 16 grad. 34 ſcr. 50 ſec. addi aut demi poterit à quadrante, ut nempe latus quæſitum ſit, 106 gr. 34 ſcr. 50 ſec. vel etiam 73 gr. 25 ſcr. 10 ſec. Id enim incertum eſt: atque ideo quoque angulus *aei*. & latus commune *ai*, hoc caſu geminam habet determinationem.

nationem. Eſt tamen ubi ex datis ipſa determinari queant: Nempe

1. Si latus reliquo angulo oppoſitum quadranti inveniatur æquale.

2. Vel, ſi latus majori angulo oppoſitum, detur quadrans aut quadrante minus, tum latus reliquo oppoſitum quadrante quoque minus erit.

3. Vel, ſi latus minori angulo oppoſitum ſit quadrans, aut quadrante majus, tum reliquum latus quoque majus erit.

4. Vel, ſi dati anguli ſint æquales, etiam latera iſtis oppoſita æquari manifeſtum eſt.

5. Denique ſi latus datum quadrante majus ſit, angulus autem ei oppoſitus obtuſus, & alter acutus, reliquum latus huic oppoſitum non erit minus prioris reſiduo: ſin vero detur latus quadrante minus & ang. oppoſitus acutus, reliquus obtuſus, latus huic oppoſitum erit minus prioris reſiduo.

FINIS LIBRI TERTII.

CANO-

CANONICÆ TRIANGVLORVM DOCTRINÆ,

LIBER QVARTVS.

DE TRIPLEVRIS OMNIBVS VNIVERSIM,

Abſque nlla reductione ad Rectangula.

I. PROPOSITIO.

Datis latteribus tripleuri, angulos invenire.


QUOD *ſit ſub ſinibus crurum auguli quæſiti, & quod ſub complementorum eorundem, applicetur ad ſinum totum:*

Et erit ut primus quotus, ad ſecundum plus vel minus ſinu complementi baſis; Ita ſinus totus, ad ſinum complementi anguli huic oppoſiti.

Eſto enim propoſitum tripleurum *aei*, cujus latera data ſint *ae* & *ei*, & quæratur angulus *eai*. Intelligatur itaque *aegt* planum maximi circuli cujus centrum *c*, & *ag*, *dh*, item *eu tf* normales diametri ut in analemmatorum deſcriptionibus aſſolet, & *ao* ſegmentum cruri *ai* æquale, ut *oy* ſit communis ſe-

ctio

ctio ejuſdem plani, & circuli intervallo cruris *ai*, ex *a* polo deſcripti, & ideo parallela contra *dh*; &



ab *i* perpendicularis intelligatur ſuper hãc communẽ ſectionem *oy*, ea itaque abſumet *il* ſinum complementi anguli *oai*, in ſui paralleli diametro: punctum igitur *i* nunc terminus perpendicularis nobis intelligatur; porrò cum *fe*, *da*, *et*, quadrantes ſint, ob communia ſegmenta, *fd ea*, & *de at* peripheriæ inter ſe æquabuntur: & *od* complementum erit *ai* vel *ao*; & *ob* perpendicularis diametro *ft*, continuetur donicum occurrat eidem diametro parallelæ *yr*, & ab *i* ſit perpendicularis *iq*, denique ab *l* ſunto perpendiculares in ductas *lm ls*.

In hoc itaque diagrammate quæritur *iq* ſinus complementi lateris *ei*, quæſito angulo ad *a* oppoſiti: cum igitur *iq* componatur ex *in* & *nq*. & *qn* ſive *ls* conſtet ex ſimilitudine triangulorum *caz*, *cls*, nempe ut ſinus totus *ca*, ad *az* ſinum complementi cruris *ae*; ita *cl* ſinus complementi cruris *ai* vel *ao* ad *ls*: hoc erit inventum primum.

Inde cum *lom cdx* triangula ob laterum paralleliſmum ſint ſimilia, erit ut *cd* ſinus totus, ad *dx* ſinum *fd* ſeu cruris *ea*, (nam *de* eſt complementum commune) ita *lo* ſinus cruris *ao* vel *ai*, ad *om* quartum:

tum: porro cum *ei* latus ſit datum, ejuſdemque complementum ſit *io*, & hujus ſinus *iq*, cujus & inventi primi *ls* modo ſumma, alias differentia eſt *in*. Cumque triangula *mol*, *nil* ſint ſimilia, erit quoque, ut *mo* inventum ſecundum ad *in* complementi lateris tertij & inventi primi ſummam vel differentiam, ita *ol* ſemidiameter paralleli, ad *il* ſinum complementi anguli quæſiti in eodem parallelo; ſeu quod idem ſit in maximo parallelo, ita ſinus totus, ad ſinum complementi anguli quæſiti. Quod utique erat demonſtrandum.

Verumenimvero cum non ſemper æquè feliciter demonſtrationum ſumma, & caſuum varietas in additione & ſubductione, & angulorum ſpecies oculis obverſetur, eas ſuis præceptis breviter complectemur.

Casvvm Determinatio.

Sumetur autem ſumma.

1. Si crura ſint *affectionis eiuſdem*, & baſis *quadrante maior*, angulus huic oppoſitus obtuſus eſt.

2. Si crura ſint *affectionis diverſæ*, & baſis *quadrante minor*, angulus qui quæritur acutus eſt.

At contra aſſumetur differentia.

3. At ſi crura ſint *affectionis eiuſdem* & baſis *quadrante minor*, ſi tum quotus primus ſecundo cedat, angulus qui quæritur acutus eſt; ſin præſtet, obtuſus.

4. Si crura ſint *affectionis diverſæ* & baſis *quadrante maior*; ſi tum quotus primus ſecundo cedat, angulus qui quæritur obtuſus eſt; ſi præſtet acutus.

Quod

Quod ſi nulla ſit differentia inter quotum primum & ſecundum, id argumento erit angulum quæſitum eſſe rectum.

Exemplum in numeris ſubjicio. ſit *ae* 47 gr. 43 ſcr. *ai* 73 gr. 25 ſcr. baſis anguli ad *a* quæſiti *ei*, ſit 71 gr. 20 ſcr. 30 ſec.

		ſinus	ſin. comp.
ae.	44 gr. 43 ſcr. 0 ſec.	7036014	7105948
ai.	73. gr. 25 ſcr. 0 ſec.	9584056	2854096
ei.	71 gr. 20 ſcr. 30 ſec.	9474431	3199240

Factus ſub complementis *ae* & *ai* per radium diviſus erit 2028105 pro *ls*, qui cum minor eſt ſinu complementi *ei* oſtendit angulum quæſitum ad *a* eſſe acutum: & cum latera ſint quadrante minora; ſubducatur *ls* de *iq* 3199240 ſinu complementi lateris tertij *ei*, reliqua erit *in* 1171135. Dehinc factus ſub ſinibus crurum eorundem *ai*, & *ae* vel *fd*: applicatum ad radium, dabit *om* 6743355. Fiat itaque ad extremum, ut inventum ſecundum, ad ſummam vel differentiam inventi primi, & complementi lateris tertij (hoc caſu ut diximus differentia eſt ſumenda) 1171135, Ita radius, ad ſinum complementi anguli *eai* 1736726 cui cedunt 10 gr. 0 ſcr. 5 ſec. & cum hic initio oſtenſus ſit acutus, erit igitur angulus quæſitus *eai* 79 gr. 59 ſcr. 55 ſec.

Hic autē notandum tibi id eſt, primas duas proportiones, cum ex ſinibus conſtent, per ſolam proſthaphæreſin expeditiſſime abſolvi poſſe, hoc modo:


	ae. 44. 43				
	ai 73 25				
Compl.	*ae* 45 17				
Sum.	118. 42	8771462			
Diff.	28 8	4715250			
		13486712	dimid.	6243356	
		4056212		2058106	

hic *ai* eſt major complemento *ae*, itaque ſummæ ſemiſſis, eſt factus ſub ſinibus, differentiæ autem dimidium ſub eorundem complementorum ſinibus, reliqua inſtituantur ut ſupra.

Hoc illud eſſe exiſtimo, quod Regiomontanus ſub finem propoſ. 43 lib. 4 obiter indicare videtur, erit (inquit) opus omnino ſimile ei, ubi ex altitudine ſolis data, quæritur diſtantia ejus à meridie. Et profecto nos ex analemmate id ita expreſſeramus, priuſquam id cuiquam in mentem ſciremus veniſſe. Verum age iterum exprimamus quoque

II. Idem Aliter.

Datis lateribus tripleuri, angulos invenire.




Sit propoſitũ tripleurum *eai*, cujus lateribus datis quæratur angulus ad *a*.

Enimvero quod ſit ſub tangente complemẽti cruris primi, & ſinu complementi ſecundi, applicetur ad radium, Itemque id quod ſub ſecante complementi cruris primi, & ſinu complementi baſis.

Et erit, ut ſinus totus, ad ſecantem complementi cruris ſecundi, ita inventorum ſumma vel differentia, ad ſinum complementi anguli ab ipſis comprehenſi.

Caſuum

Caſuum determinationes ſunt ut ante in modo præmiſſo, illæ igitur iſtinc repetantur.



Compleatur enim circulus maximus *ea yu* ut ante, & cõmunis ſectio ejus, atque paralleli intervallo cruris *ai* vel *ao* ex *a* polo deſcripti ſit *oy*: cõmunis autem ſectio paralleli, intervallo baſis *ei* vel *es* ex polo *e* deſcripti, ſit *sr*, horum autem deſcriptorum circulorum communis ſectio in *i*, perpendicularis erit utriq; rectæ *sr* & *oy* in communi ſectione; ita ut *i* in ſuperficie ſphæræ poſitum, oculo ad perpendiculum inſpectante, videatur *i* punctum in plano. Eritque *il* ſinus complementi anguli *eai*, in parallelo cujus diameter *oy*: & *im* ſinus complementi anguli *iea*, in parallelo cujus diameter *sr*; triangulorum ſimilitudo conſtat è ſuis perpendiculis. Quamobrem ut in triangulo *clp* inveniatur *lp*, erit ut ſinus totus, ad tangentem anguli *lcp*, qui eſt complementum *eca*, vel cruris primi *ea*, ita *lc*, ſinus *od* quæ eſt complementum *ao* vel *ai*, ad *lp*, hoc primum:

Secundo ob ſimilitudinem *bip clp*, angulus *bip* angulo *act*, erit æqualis: & ideo, ut ſinus totus, ad ſecantem *bip*, qui eſt complementum *eca*, ita *ib* ſinus complementi baſis *ei* ſeu *es*, ad *ip*; itaque differentia vel ſumma *ip lp* dabit rectam *il*, ſinum

 comple-

complementi *oai* in parallelo cujus diameter *ol*. Fiat itaque ut *ol*, ſinus *ao* vel *ai* lateris ſecundi, ad *il*, ita ſinus totus, ad ſinum complementi maximi circuli ei reſpondentem, hoc eſt per propoſ. 19. lib. 1. ut Radius, ad ſecantem complementi *ai* lateris ſecundi, Ita *il*, ad ſinum complementi quæſiti anguli. Porrò anguli quæſiti ſpecies, & additionis & ſubductionis ratio, ſequitur leges modo antecedente expoſitas. Exemplum ad primum diagramma compoſitum: ſit

1 *ae* 44 grad. 43 ſcr. tan.com. 10099394.
ſec.com. 14212592.
2 *ai* 73 grad. 25 ſcr. ſin.com. 2854096.
ſec.com. 10433905.
baſ. *ei* 71 gr. 20 ſcr. 30 ſec. ſin. comp. 3199240.

Rectangulum è tang. complementi cruris primi *ae*, & ſinu compl. ſecundi *ai*, ad radium applicatum eſt *lp* 2882464.

Rectangulum è ſecante compl. cruris primi *ae*, & ſinu compl. baſis *ei*, eſt *ip* 4546946, hoc loco differentia erit *li* 1664485.

Erit itaque, Ut ſinus totus 10000000 ad ſecantem compl. cruris ſecundi *ai* 10433995, ita *li* inventa 1664485, ad 1736722 ſinum complementi anguli *eai*: cui cedunt 10 grad. 0 ſcr. 5 ſec. hoc complementum, quia angulus hoc caſu eſt acutus erit à 90 grad. deducendum, & dabitur anguli *eai* quantitas 79 grad. 59 ſcr. 55 ſec. ut ante.


Potuit etiam alius modus inveniendi anguli *iae*, quæſiti ex eodem diagrammate à nobis elici qui duabus multiplicationibus & una diviſione ut primus

mus : itemque alius qui tribus multiplicationibus, ut ſecundus abſolvi poſſit. Sed id nunc ſatis eſto, tum ad facilitatem, tum ad varietatem hac ratione explicandam : neque enim arti propoſitum eſt omnia cujuſque modi ea ſint proponere, ſed ea tantum quæ facilitatem cum utilitate habent conjunctam. Et profecto ſi cui libeat varietatem experiri, viam hic habet planam ; Primus modus quem propoſuimus, calculi ob proſtaphæreſin facilitate, hunc ſuperat : hic autem viciſſim nulla adhibita diviſione totum negotium abſolvit. Et hic jam manum de tabula tollerem, niſi apud Regiomontanum libri 5 propoſitione ſecunda alius prætérea extaret modus, qui reliquos antecellat non tam calculi facilitate, quam determinationis felicitate, quam de ſuo ſemper affert, ut nullis novis hic ſit opus præceptis ; quamuis non ſim neſcius ob lubricitatem calculi à viris doctis tantum caute adhiberi : id enim jam olim Nonius alijque monuerunt : attamen ob artis perfectionem idem ille huc quoque aggregetur, ut cuique ſuo arbitrio frui liberum ſit ; nos ſane poſtea faciliorem exhibebimus modum, quam geminâ multiplicatione vitatâ diviſionis moleſtiâ abſolvimus, non tamen minus cautè adhibendum quam eſt hic, ob calculum nimis lubricum ; ſed en tibi modum Regiomontani cui noſtrum ſubjungemus.

III. IDEM ALITER.

Per ſinus verſos.

Vt rectangulum ſub ſinibus crurum anguli quæſiti, ad radij quadratum; ita differentia inter ſinum verſum baſis, & ſinum verſum differentiæ crurum, *ad ſinum verſum anguli oppoſiti. Reg. lib. 5 pr. 2.*



ESTO enim triangulum propoſitum *aei*, cujus ſingula latera dentur, & quæratur angulus ad *a*, ac reliqua quidẽ ſunto ut prius, & ab *o* ſit perpendicularis *ob*; cumque *oe* ſit differẽtia crurum *ae* & *ai*, cui *ao* ponitur æqualis, erit *oq* ejus ſinus rectus, & *cq* ſinus verſus, & eodem modo *sm* ſinus rectus, *cm* ſinus verſus *es*, hoc eſt baſis *ei*; differentia ſinuum verſorum eſt *mq* ſeu *ob*; eſt autem *oi* ſinus verſus anguli *oai*, in menſura paralleli *oy*, & *dx* ejuſdem anguli ſinus verſus in menſura maximi, cujus diameter *dh*: ob ſimilitudinem igitur peripheriarum erit ut *dc* ad *dx*, ita *lo* ad *oi*; & cum ob parallelíſmum angulus *oib* angulo *fpo* hoc eſt ipſi *eca* æqualis ſit, triangula *acn*, *oib*, erunt ſimilia, atque ideo latera *na ac*; *bo*, hoc eſt *mq*, & *oi* proportionalia,

nalia, ſi itaque has proportiones ſibi mutuo ſubjicias hoc modo

la *oi* *cd*. *dx*
na *ac* *ob* *oi*

erit quoque propter earundem rationum compoſitionem ut *lo* in *na*, ad *cd* in *ca* hoc eſt ad radij quadratum, ita *ob* in *oi*, ad *dx* in *oi*, ſeu rejecta communi altitudine *oi* ita *ob* ſeu *mq* differentia inter *eq* & *em*, ad *dx* ſinum verſum anguli quæſiti; Sed in calculo terminus uterque prior per radium dividatur,

ſit *ae* 44 gr. 43 ſcr. ſinus 7036014
ai 73 gr. 25 ſcr. ſinus 9584056
ei 71 gr. 20 ſcr. 30 ſec. ſin. verſus 6800760.
differ. crurum *ae ai* 28 gr. 42 ſcr. ſin. verſ. 1228538.
differentia ſin. verſ. 5572222

ut 67433552192784 ad 100000000000000, hoc eſt ut 6743355 ad 10000000, ita 5572222 ad 8263278 ſinum verſum anguli quæſiti, qui de radio deductus relinquet ſinum complementi 1736722, cui cedunt 10 gr. 0 ſcr. 5 ſec. unde ipſe ideo angulus *eai* datur, 79 gr. 59 ſcr. 55 ſec.

Eſto exemplum ſecundum tripleurum *iag*, & quæratur angulus ad *g*:

ag 135 gr. 17 ſcr. ſinus } idem qui ſuprà.
ai 73 gr. 25 ſcr. ſinus }
ig 108 gr. 39 ſcr. 30 ſec. ſinus verſus 13199240
Differ. crur. *ag* & *ai* 61 gr. 52 ſcr. ſin. verſ. 5284750.

Erit igitur ut 6743355, ad radium 10000000, ita differentia ſinuum verſorum 7914490; ad 11736724, qui cum major ſit radio, angulus qui quæritur eſt obtuſus, radius de eo ſubductus dabit 1736724 ſinum complementi, cui cedunt 10 gr. 0 ſcr. 5 ſec. hi ad quadrantem additi, dabunt 100 gr. 0 ſcr. 5 ſec. amplitudinem anguli *iag*. Vides hic nulla

determinatione opus eſſe : periculum erroris quod magni viri culpant in ſinibus verſis, nullum erit ſi majoribus ſinuum tabulis utaris : nam Rhetici beneficio id nobis deinceps licet, & maximè quidem cum factus à crurum ſinibus ſola proſtaphæreſi inveniri poſſit.

Ex iſta Regiomontani factione magnus Vieta ſuam tripleurorum obliquangulorum doctrinam efformavit, quæ ut ſit jucunda & elegans, at non potuit iſtinc ullo modo diviſionis moleſtiam declinare; quod nos ſecundo modo præſtitimus. Itaque ſi ea via memoriæ juvandæ cauſa ſit uſurpanda, utique etiam facilitatis cauſa diviſio fuit declinanda; ſed propter compendia proſtaphæreſeos vel primum, vel ultimum hunc modum uſurpandum cenſeo; noviſſimus certè determinationum varietate caret, & ſi quandoque ſinuum verſorum differentiæ ſint nimis exiles, uſurpentur canones majores.

IV. Idem Aliter.

Abs diviſionis opere.

Fiat enim : Ut quadratum radij, ad rectangulum quod ſit ſub ſecantibus complementi crurum anguli quæſiti; ita differentia inter ſinum verſum baſis, & ſinum verſum differentiæ crurum, ad ſinum verſum anguli oppoſiti.

Demonstratio ex antecedente eſt manifeſta : Nam cum per 18 propoſ. lib. 1. radius ſit medius proportionalis inter ſinum, & ſecan-

tem

tem complementi ejuſdem peripheriæ, erit quoque per rationum compoſitionem, ut rectangulum ſub ſinibus datarum peripheriarum, ad quadratum radij, ita quadratum radij, ad rectangulum ſub ſecantibus complementorum earundem; reliqua ſunt eadem quæ in opere & demonſtratione modi antecedentis.

Sit enim in eodem triangulo *aei*

latus *ae*. 44 gr. 43 ſcr.
ai 73 gr. 25 ſcr.
ei 71 gr. 20 ſcr. 30 ſec.

Et quæratur angulus *a*: differentia inter ſinum verſum baſis *ei*, & ſinum verſum differentiæ crurum *ae ai*, quæ eſt 28 grad. 42 ſcr. Erit 5572222, rectangulum ſub ſecantibus complementi crurum, ad radium applicatum, eſt 14829411; Atque hinc proportio

ut 10000000, ad 14829411, ita 5572222, ad 8263275 ſinum verſum anguli ad *a* quæſiti, atque inde ipſe angulus ad *a* dabitur 79 gr. 59 ſcr. 55 ſec. ut ſupra.

Quamobrem hic ſolo multiplicationis geminæ opere, hac via defungi tibi licet. Illic multiplicatione & diviſione opus eſt, ſed cum multiplicatio pura proſtaphæreſi illic abſolvatur, ſola diviſio relinquitur; Tu nunc tuo arbitratu vel hunc vel illum modum eligito, prout tuis abacis videbitur oportunum.

II. Propoſitio.

Datis angulis latera invenire.


ID per enallagen παλινδρομικὴν abſolvetur: eſt enim oſtenſum lib. 3 propoſ. 8 ſi ex apicibus trianguli maximæ peripheriæ deſcribantur angulos in latera & contra mutari, hac lege, ut pro lateribus & angulis illorum reſidua ad ſemicirculum viciſſim aſſumantur.

Si igitur duo rectangula applicentur ad ſinum totum,

Unum quod ſit ſub ſinibus angulorum lateri quæſito adjacentium;

Alterum quod ſub ſinibus complementorum eorundem.

Et erit, Ut primus quotus, ad ſecundum plus vel minus ſinu complementi anguli tertij; Ita ſinus Totus, ad ſinum complementi lateris huic tertio oppoſiti.



Totum hoc inquam ex antecedente propoſitione eſt derivatum, ſecundum laterum & angulorum oppoſitorum enallagen, quam ſupra propoſ. 8 lib. 3. demonſtravimus: Nam ex datis angulis tripleuri *aei*, *a* 85 grad. *e* 115 gr. *i* 105 gr. efformatur ſecundum AEI, cujus latera angulis oppoſita æquentur illorum angulis deinceps (ut loquuntur) ſive illorum ad ſemicirculum reſiduis æqualia ſint, ut ex illius angulo *a*, 85 gr. datur

tur hujus latus EI 95 gr. ex illius *e* 115 grad. datur hujus latus AI 65 gr. ex illius *i* 105 gr. datur hujus latus AE 75 gr. datis autem lateribus AEI dantur per antecedentem quoque anguli, ſed latera illius primi, hujus ſecundi, oppoſitis deinceps angulis ſunt æqualia: nempe quemadmodum latus AE 75 gr. in ſecundo, illius *i* anguli in primo reſiduum eſt ad ſemicirculum; ita hujus ſecundi angulus I 70 gr. 53 ſcr. illius lateris *ae* reſiduum quoque eſt ad ſemicirculum; ſecundum has leges itaque noſtræ ſolutionis formula eſt expreſſa: Cum enim angulorum ad ſemicirculum reſidua fiant latera ſecundi trianguli; & ſecundi angulorum reſidua ad ſemicirculum latera primi; & horum ſinus & ſinus complementorum ijdem ſint: in ipſa factione nihil erit variandum; ſed quod in antecedente problemate dabat angulum quadrante majorem, id hic dat latus quadrante minus, illius nempe reſiduum ad ſemicirculum. Horum itaque caſuum determinationes, ſecundum quas laterum ſpecies, & an ſumma vel differentia quoti ſecundi, & ſinus complementi aſſumenda ſit hic ſigillatim & diſtincte proponemus.

Casvvm Determinatio.

Πτώσεων διορισμός.

Sumetur autem ſumma.

Si anguli quæſito lateri adjacentes ſint *affectionis eiuſdem*, & tertius quærendo oppoſitus *quadrante minor*, latus quod quæritur quadrante minus eſt.

Si anguli quæſito lateri adjacentes ſint *affectionis*

nis diverſæ, & tertius quærendo lateri oppoſitus *quadrante maior*, latus quod quæritur quadrante majus eſt.

At contra aſſumetur differentia,

At ſi anguli quæſito lateri adjacentes ſint *affectionis eiuſdem*, & tertius quærendo oppoſitus *quadrante maior*, ſi hoc caſu quotus primus ſecundo cedat, latus quod quæritur quadrante majus erit; ſi præſtet minus.

Si anguli quæſito lateri adjacentes ſint *affectionis diverſæ*, & angulus tertius quærendo lateri oppoſitus *quadrante minor*; ſi hoc caſu quotus primus ſecundo cedat, latus quod quæritur quadrante minus erit; ſi præſtet, majus.

Sed exemplis propoſitis hujus theorematis uſum illuſtrare oportunum erit. Sit itaque propoſitum tripleurum *aei*, cujus angulus *a* ſit 85 gr. *e* 115 gr. *i* 105 gr. & quæratur primum latus *ei*: ambo autem hi quoti per puram proſtaphæreſin inveniri poſſunt abſque opere multiplicationis, per prop. 31 lib. 3. cujus factionis typum hic ſubjeci

a 85.	5
e 115. ſeu 65.	25
compl. *a*. 5	85
70. 9396926	110. 9396926
60. 8660254	60. 8660254
18057180	736672
1. quotus. 9028590	2 quot. 368336
	2588190 ſin. cō. *i*
1 quotus 3	2956526. invētū 3.

9028590 2956526 ita 10000000 ad 3274526 qui eſt ſinus complementi lateris *ae*, cui cedunt 19 gr. 6 ſcr. $52\frac{1}{2}$ ſec. & cum per determinationem primam

mam latus *ae* ſit quadrante majus, erit itaque 109 gr. 6 ſcr. 51½ ſec.

Hac via invenietur *ai* 113 gr. 33 ſcr. 27½ ſec. Et *ei* 77 gr. 1 ſcr. 34½ ſec.

II. IDEM ALITER.

Hic modus adhibita laterum & angulorum enallage, per propoſ. 8. lib. 3, & quia complementa majoribus & minoribus; peripherijs ſunt communia ex ſecunda factione propoſitionis præmiſſæ hoc modo derivabitur, ut prius.

Si duo rectangula applicentur ad radium, unum quod ſit ſub tangente complementi anguli primi quæſito lateri adjacentis, & ſinu complementi anguli ſecundi eidem adiacentis;

Alterum quod fit ſub ſecante complementi anguli primi, & ſinu complementi anguli oppoſiti;

Et erit, Ut ſinus totus, ad ſecantem complementi anguli ſecundi: Ita quotorum inventorum ſumma vel differentia, ad ſinum complementi lateris quæſiti.

Caſuum determinatio, & ratio eſt eadem, quæ modo antecedente expreſſa eſt; eas igitur iſtinc repetito.



Propoſitum itaque ſit tripleurum *aei*, cujus angulus *a* 85 gr. *e* 115 gr. *i* 105 gr. Et quæratur primum latus *ei*, oppoſitum angulo ad *a*. Ex adjacentibus *e*, *i*, aſſumatur nunc *e* tanquam primus, *i* ſecundus

1. *e*. 115 gr. tan. co. 466307.	hujus ſec. c. 11033779
2. *i* 75 gr. ſin. co. 2588190.	ſin. compl. *a* 871557
invent. 1. 1206893	invent. 2. 961657.

Et quia hoc exemplum pertinet ad determinationē caſus primi, ſumatur utriuſque ſumma 2168550, & latus

& latus *ei* angulo tertio *a* oppoſitum erit quadrante minus, hinc ſecans compl. anguli ſecundi *i* eſt 10352762. unde proportio.

ſec.com.*i*.	proſt.quot.	ſin.cõ.lat.*ei*	
10000000	10352762,	2168550	2245048.

qui eſt ſinus complementi lateris *ei*, cui cedunt 12 gr. 58 ſcr. 25½. & ipſum ideo latus *ei* quadrante minus 77 gr. 1 ſcr. 24½ ſec.

Quæratur in eodem triangulo latus *ae*, oppoſitum angulo *i* 105 gr. Et ſit ex adjacentibus *a* primus, *e* ſecundus.

1. *a*. 85 gr. tan. cõ. 874887.	ejuſ. ſec. cõ. 10038198
2. *e*. 115 gr. ſin. cõ. 4226183	ſin. c. *i* 105 gr. 2588190
quotus 1. 369743	quotus 2. 2598076

Et quia hoc exemplum pertinet ad caſum ſecundum, aſſumatur horum quotorũ ſumma, 2967819. & latus *ae* erit quadrante majus: porrò ſecans compl. anguli ſecundi *e*, eſt 11033779. atque hinc proportio.

ſec.com.*e*	proſt.quot.	ſin.cõ.lat.*ae*	
10000000.	11033779.	2967819.	3274627.

qui eſt ſinus compl. lateris *ae*, cui cedunt 19 gr. 6 ſcr. 53½ ſec. & ideo ipſum *ae* latus quadrante majus 109 gr. 6 ſcr. 53½ ſec.

Hac via invenies latus *ai* 113 gr. 33 ſcr. 27½ ſec.

Sed eſto quoque etiam alterum tripleurum ad ſequentium caſuum varietatem oportunum: ſitque in tripleuro *aei* angulus *a* 85 gr. *e* 115 gr. & *i* 75 gr. & quæratur primo latus *ae* oppoſitum angulo tertio *i*, ſtatuatur itaque *a* tanquam adjacentium terminus primus, *e* ſecundus.

1. *a* 85 gr. tan. cõ. 874887.	ejuſ. ſec. cõ. 10038198.
2. *e* 115 gr. ſin. cõ. 4226183.	ſin. c. *i* 75 gr. 2588910.
quotus 1. 369743.	quotus 2. 2598076.

Et

Et quia hoc exemplum pertinet ad caſus quarti determinationem, aſſumenda erit horum quotorum differentia 2228333, præterea quia quotus primus ſecundo cedit, latus quæſitum erit quadrante minus. porrò ſecans compl. anguli ſecundi *e* eſt 10352762 atque hinc proportio

ſec.com.*e*. proſt.quot. ſin.cō.lat.*ae*.
10000000. 10352762. 245236. 253887. cui debentur 14 gr. 14 ſcr. ejus complementum 75 gr. 46 ſcr. pro latere *ae*, quia hoc quadranti cedit.

Similiter per ejuſdem 4 caſus determinationem invenietur latus *ei*, 91 gr. 17 ſcr. 17 ſec.

Denique ſecundum tertij caſus leges etiam latus *ai* oppoſitum maximo angulo 115 gr. ſit enim primus adjacentium *a*, & *i* ſecundus.

1. *a* 85 gr. tan. com. 8748887,	ejuſ. ſec. cō. 10038199
2. *i* 75 gr. ſin. com. 2588190	ſin. c. *e* 115 gr. 4226183
quotus 1. 226437	quotus 2. 4242326

Et quia hoc exemplum pertinet ad determinationem caſus 3, ſumatur horum quotorum differentia 4015890, & latus quæſitum erit quadrante majus, ſecans compl. anguli ſecundi *i* eſt 10352762. atque hinc proportio

ſec.com.*i* proſt.quot. ſin.cō.lat.*ai*,
10000000. 10352762. 4015890. 4157554. cui cedunt 24 gr. 35 ſcr. ergo latus *ai* majus quadrante erit 114 gr. 35 ſcr. Atque ita hujus noſtræ factionis, & determinationum ejus varietatem, ſolo multiplicationis calculo expedivimus.

III. IDEM

III. IDEM ALITER
Per ſinus verſos.

Vt rectangulum ſub ſinibus angulorum duorum, per ſinum totum diviſum, ad ſinum totum; ita differentia inter ſinum verſum reſidui ad ſemicirculum anguli tertij, & ſinum verſum differentiæ illorum, ad ſinum verſum reſidui eius lateris quod tertio angulo opponitur.

CAVSA eadem eſt quæ prius: cum enim, ex datis poſſit conſtrui triangulum, cujus latera & anguli huic dato ſint ad ſemicirculi reſiduum æqualia per propoſitionem 8 lib. 3. ergo per 3 modum propoſ. antecedentis, hic quartus proportionalis eſſet ſinus verſus, reſidui lateris hujus quæſiti ad ſemicirculum; eo igitur deducto de diametro relinquitur ſinus verſus ipſius lateris.

Sit enim in eodem tripleuro *aei*, angulus *a* 65 gr. o ſcr. *e* 75 gr. o ſcr. *i* 85 gr. o ſcr. & quæratur latus *ai*. rectangulum ſub ſinibus, *a* 65 gr. 9063078, & *i* 85 grad. 9961947, ad radium applicatum erit 9028590. Sed hunc eundem terminum per proſthaphæreſin ſimplicem inveniri poſſe jam ſupra monui: differentia 65 & 85 gr. ſunt 20 gr. cujus ſinus verſus 603074: ſinus verſus reſidui anguli tertij ad ſemicirculũ nempe 105 gr. eſt 12588190, horum ſinuum verſorum differentia eſt 11985116: Fiat itaq; ut 9028590 ad ſinum totum 10000000; ita 11985116 ad quartum 13274626, cujus à diametro differentia 6725374 minor radio, arguit latus quæſitum *ai* quadrante minus eſſe, & cedent ei 70 gr. 53 ſcr. $6\frac{1}{2}$ ſec. Eodem modo invenies latus

latus *ae* 77 gr. 1 ſcr. $34\frac{1}{2}$ ſec. Et latus *ci* 62 grad. 26 ſcr. $32\frac{1}{2}$ ſec.

Sed etiam alterum nobis exemplum propoſitum eſto, angulus *a* 65 gr. 26 ſcr. *e* 88 gr. 32 ſcr. 43 ſec. *i* 104 gr. 14 ſcr. & quæratur latus *ae*; rectangulum ſub ſinibus angulorum adjacentium, *a* 65 gr. 26 ſcr. & *e* 88 gr. 32 ſcr. 43. ſec. ad radium applicatum, per puram proſtaphæreſin invenitur 9091850, differentia eorundem angulorum eſt 23 gr. 6 ſcr. 43 ſec. cujus ſinus verſus eſt 802603: ſinus autem verſus reſidui ad ſemicirculum anguli tertij *i* 104 gr. 14 ſcr. nempe 75 grad. 46 ſcr. eſt 7541311, horum ſinuum verſorum differentia eſt 6738708. Hinc proportio; quemadmodum 9091850, ad ſinum totum 10000000; ita differentia dictorum ſinuum verſorum, 6738708, ad ſinum verſum 7411811, qui de radio deductus relinquit 2588189 ſinum 15 gr. cujus complemento 75 grad. ille ſinus verſus debetur; hujus itaque reſiduum ad ſemicirculum 105 gr. eſt ipſum latus *ae* quæſitum, quod angulo tertio opponitur.

Hunc igitur modum & generaliter & ſimpliciſſimè abſque ulla circuitione expreſſimus, ex legitimè inſtituta noſtra angulorum & laterum mutua enallage; quam ſupra propoſ. 8 lib. 3 à magnis viris non ſatis purè tractatam planiſſimè oſtendimus.

IV. IDEM ALITER.

Abſque opere diviſionis.

Quemadmodum ſinus totus, ad rectangulum quod fit ſub ſecantibus complementi angulorum duorum

 ad radium

ad radium applicatum: Ita differentia inter ſinum verſum reſidui ac ſemicirculum anguli tertij, & ſinum verſum differentiæ illorum; ad ſinum verſum reſidui eius lateris quod tertio opponitur.

HOc plane è quarto modo antecedentis factionis ita eſt expreſſum, ut antecedens è tertio illius, itaque hic lectorem longis logis morari non eſt animus:

Exemplum autem tale eſto. Sit enim in eodem tripleuro *aei*

a 65 gr. 26 ſcr.

e 88 gr. 32 ſcr. 43 ſec.

i 104 gr. 14 ſcr. & quæratur latus *ae*. rectangulum ſub ſecantibus compl. angulorum *a* & *e* nempe 10995316 & 10003224 eſt 10998861, differentia eorundem angulorum eſt 23 grad. 6 ſcr. 43 ſec. cujus ſinus verſus 802604: ſinus porro verſus reſidui ad ſemicirculum anguli tertij eſt 7541311, horum differentia itaque fuerit 6738708. Atque hinc demum proportio. ut 10000000 ad 10998861, ita 638708 ad 7411811 ſinum verſum reſidui ad ſemicirculum lateris *ae*, quare ipſum latus majus eſt quadrante; ſinus autem verſus de radio ſubductus relinquit 2588189 ſinum complementi, cui cedunt 15 gr. ij hoc caſu ad quadrantem additi conflabunt latus *ae* quæſiſitum 105 gr. o ſcr. ut ſupra.

III. PRO-

III. PROPOSITIO.

Datis lateribus duobus, & angulo ab ijs comprehenſo, reliquum latus invenire.

DUo rectangula ſigillatim ad ſinum totum applicentur. Unum quod ſit ſub ſinibus laterum datorum;

Alterum quod ſit ſub ſinibus complementorum eorundem.

Et erit ut ſinus totus, ad ſinum complementi anguli à datis lateribus comprehenſi, ita quotus primus ad quartum. Huius inventi & quoti ſecundi ſumma vel differentia erit ſinus complementi lateris dato angulo oppoſiti.

CASVVM DETERMINATIO.

Πτώσεων διορισμός.

Sumetur autem ſumma.

Cum latera erunt *affectionis eiuſdem*, & angulus ab ijs comprehenſus *acutus*, & hoc caſu latus quæſitum eſt quadrante minus.

Vel, cum latera erunt *affectionis diverſæ*, & angulus ab ijs comprehenſus *obtuſus*, & hoc caſu latus quæſitum erit quadrante majus.


At contra ſumetur differentia.

Cum latera erunt *affectionis eiuſdem*, & angulus ab ijs comprehenſus *obtuſus*; & ſi hoc caſu quotus ſecundus cedat tertio, latus quod quæritur erit quadrante majus; ſi præſtet minus.

Vel, cum latera erunt *affectionis diverſæ*, & angulus ab ijs comprehenſus *acutus*, ſi hoc caſu quotus ſecundus cedat tertio latus quod quæritur quadrante minus eſt; ſi præſtet majus.

Quod ſi nulla intercedat differentia, latus quæſitum quadranti æquale erit.

Repetatur diagramma primum propoſitionis primæ. Et in tripleuro *aei*, dētur latera *ae*, *ai*, cum angulo *eai* ab iiſdem cōprehenſo, & quæratur latus huic oppoſitum *ei*; linearū porrò omniū



eſto eadem notio quæ ibi à nobis expoſita eſt: cum itaque *ol* ſit radius paralleli, crure *ai* vel *ao* deſcripti, & *il* ſinus complementi anguli *eai*, in parallelo *oy*. Erit igitur primo ob ſimilitudinem triangulorum *cdx*, *lom*, ut *cd* ad *dx*, ſinum lateris *ae* vel *df*, ita *ol* ſinus lateris *ai*, ad ipſam *om*: hoc eſto inventum primum. Porrò cum ex ſimilitudine triangulorum *caz*, *cls*, inveniatur *ls*, nempe ut ſinus totus, ad *az* ſinum complementi lateris ſecundi *ae*, ita *cl* ſinus complementi *ao* vel *ai* lateris primi, ad *ls* vel *nq*: hoc eſto inventum ſecundum.

Et denique ut *ol* ad *li*, hoc eſt ut ſinus totus ad ſinum complementi anguli dati *eai*, ita *om* inventum primum, ad *in*: hujus *in* & inventi ſecundi *nq* ſumma,

ma, hoc loco conflat *iq* ſinum complementi lateris quæſiti *ei*.

Si *i* caderet in *l*, tum inventum ſecundum & tertium æquarentur, & angulus eſſet rectus. Si ultra *l* inter *l* & *p*, jam aſſumenda eſſet ſecundi & tertij inventi differentia; ſi ultra etiam *p*, rurſum ſumma; atque ita leges ſuæ ſibi ſunt, ſi *ai* latus majus ſit quadrante; quod facile ex ſchematis inſpectione notari poteſt. Verum quia mentis acies non ſemper æquè eſt ſerena, neque demonſtrationis vis perinde oculis & animo obverſatur factionem ipſam & caſus earum ac determinationes hic diſtinctè, & ordine proponemns.


Totum hoc opus unica multiplicatione abſolvitur; quia primus & ſecundus quotus, ſola proſtaphæreſi inveniuntur; ſed exempla nunc ſubjicio.

Sit itaque in tripleuro *aei*, latus *ae* 65 gr. *ai* 95 gr. & angulus *eai* 104 gr. 14 ſcr.

ai 95. ſeu 85.
ae 65.
compl. 5

70. 9396926 — 9396926
60. 8660254 — 8660254
18057180 — 736672
1. 9028590. — 2 368336
ſin. com. *eai* — 1 quot.

10000000, 2458713, 9028590, 2219871.



Et qnia hoc exemplum pertinet ad caſum ſecundum, hujus & quoti 2 ſumma eſt aſſumenda, nempe 2588207, qui eſt ſinus compl. lateris quæſiti *ei*, quod quadrante majus eſt: debentur autem huic ſinui 15 gr. 0 ſcr. & ideo latus ipſum erit 105 gr. 0 ſcr.

Detur nunc angulus *eia*. 65 gr. 26 ſcr. & latera cum comprehendentia *ei* 105 gr. 0 ſcr. *ai* 95 gr.

ei. 105. ſeu 75
ai. 95. 85
compl. 15

	100. 9848077		9848077
	70. 9396926		9396926
	19245003		451151
1.	9622501	2.	225575
	ſin. com. *eia* 1 quotus		

10000000, 4157517, 9622501, 4000571. quia hoc exemplum pertinet ad caſum primum, addatur quotus 2, ſumma erit 4226146, ſinus compl. lateris quæſiti: ipſumque latus erit quadrante minus, nempe 65 gr. 0 ſcr. ſcilicet pro *ae*.

Sit tertiò latus *ae* 75 grad. 56 ſcr. *ai* 114 grad. 34 ſcr. & angulus *eai* 85 gr. 0 ſcr. & quæratur latus *ei*.

ae 75 46
ai 114. 34. 65. 26
compl. 14 14

	79. 40. 9837808		9837808
	51. 12. 7793380		7793380
	17631188		2044428
1.	8815594.	2.	1022214.
	ſin. com. *cai* 1 quotus		

10000000, 871557, 8815594, 768323. Et quia hoc exemplum pertinet ad caſum quartum, ſumenda eſt hujus & 2 quoti differentia, quæ eſt 253891, ſinus compl. lateris quæſiti *ai*, cui cedunt 1 gr. 27 ſcr. $17\frac{1}{2}$ ſec. & quia ſecundus huic præſtat, latus quæſitum quadrante majus eſt, 91 gr. 27 ſcr. $17\frac{1}{2}$ ſec. Hic modus facilis eſt & elegans, ſed

ſed quia aliis forſan magis placebit, ut in fine ſeu proportione ultima, nihil amplius operis ſuperſit, quia id facile excidit, tentabimus quoque ex eodem diagrammate

II. IDEM ALITER.

Duo rectangula ſigillatim applicentur ad ſinum totum.

VNum quod ſit ſub ſinu lateris dati primi, & ſinu complementi anguli dati:

Alterum quod ſit ſub ſinu complementi lateris primi, & tangente complementi lateris ſecundi:

Et erit, Ut ſinus totus, ad ſinum lateris ſecundi; ita quoti primi & ſecundi ſumma vel differentia, ad ſinum complementi lateris tertij dato angulo oppoſiti.

Caſuum determinatio, & reliqua, antecedenti factioni ſunt ſimilia.

CASVVM DETERMINATIO.

Πτώσεων διορισμὸς,

Sumetur autem ſumma.

Cum latera erunt *affectionis eiuſdem*, & angulus ab ijs comprehenſus acutus, & hoc caſu latus tertium dato angulo oppoſitum quadrante minus erit.

Vel, cum latera erunt *affectionis diverſæ*, & angulus ab iis comprehenſus obtuſus, & hoc caſu latus tertium dato angulo oppoſitum erit quadrante majus.

At contra ſumetur differentia.

Cum latera erunt *affectionis eiuſdem*, & angulus ab ijs comprehenſus obtuſus, & ſi hoc caſu quotus primus ſecundo cedat, latus tertium dato angulo oppoſitum quadrante minus eſt; ſi præſtet majus.

Vel, Cum latera erunt *affectionis diverſæ*, & angulus ab ijs comprehenſus acutus, & ſi hoc caſu quotus primus ſecundo cedat, latus tertium dato angulo oppoſitum quadrante majus eſt; ſi præſtet minus.

Quod ſi nulla differentia intercedat, indicium eſt latus quæſitum quadranti æquari.

Demonſtratio è ſuperiore diagrammate primo manifeſta eſt: Ut enim ſinus totus, ad complementum dati anguli *eai*, ita *ol* ſinus lateris *ao* vel *ai*, ad *il*; & hoc eſt inventum primum. Inde ut ſinus totus, ad tangentem complementi *ac*, ſeu tangentem peripheriæ *ai*; ita *cl* ſinus complementi *ao*, ad *lp*. Harum ſumma cum angulus datus *eai* eſt acutus & latera *ea ai* ſimul minora, vel ſimul quadrante majora erunt, conflant *ip*, & hic latus tertium *ei*, erit quadrante minus qui eſt caſus primus. vel etiam ut in tripleuro *iau* quando latera *ia*, *au* ſunt affectionis diverſæ, & angulus *iau* obtuſus, & hic *iu* latus tertium erit quadrante majus; qui eſt caſus ſecundus; reliqui facile ad eandem analogiam poſito diagrammate explicari poſſunt.

Eſto igitur in tripleuro *eai*, latus primum *ai* 73 gr. 25 ſcr. & ſecundum *ae* 44 gr. 43 ſcr. & angulus ab ijs comprehenſus *eai* 79 gr. 59 ſcr. 55 ſec. & quæratur tertium latus *ei*. Hic prima applicatio pura proſtaphæreſi poteſt abſolvi hoc modo

gr. ſcr.

gr. ſcr. ſec.
ai 73 25
compl. ang. *a*. 10 0 5
16 35
26 35 5. 4475207.
6 34 55. 1146747.
3328460
1. 1664230.

tã.c.*ae* 44 g.43 ſc. ſi.c.*ai* 73 g.25 ſc. *lp*
10000000 9901584 2854096 2882464. 2.

Et quia hoc exemplum pertinet ad caſum primum, ſumatur hujus utriuſque inventi 1 & 2 ſumma, 4546694, & latus quæſitum erit quadrante minus. Fiat itaque ad extremum,

ſi.*ae* 44 gr.43 ſc. proſtaph.
10000000 7036014 4546694 3199c60,
hic eſt ſinus comp. lateris quæſiti *ei*, cui cedunt 18 gr. 39 ſcr. 26 ſec. & ipſum latus *ei* ideo quadrante minus, 71 gr. 20 ſcr. 34 ſec.

Eſto etiam alterum exemplum, ſitque latus primũ *ai* 95 gr. ſecundum *ae* 65 gr. & angulus *iae* 104 gr. 14 ſcr. & quæratur latus *ei*: primus quotus ſola pura proſtaphæreſi invenietur ut prius, hoc modo,

ai. 95. id eſt 85.
compl. ang. *a* 14. 14.
5 0
19 14. 3294160
9 14. 1604554
4898714
1. 2449357

tan.com.*ae* ſin.com.*ai*
10000000, 10099394, 2854096, 406414, 2.

Et quia exemplum hoc pertinet ad caſum ſecundum, aſſumenda eſt utriuſque inventi ſumma 2855771, Et latus quæſitum erit quadrante majus. Fiat itaque ad extremum ut

ſin. *ea* proſtaph.

10000000 ad 9063077, ita 2855771, ad 2588207, ſinum complementi lateris tertij *ei*, cui cedunt 15 gr. itaque ipſum latus *ei* erit exactè 105 gr. quemadmodum oportuit.

Potuimus etiam aliter atque aliter hos modos variare, ſed hoc ſatis nunc eſto, utrâque enim hac factione tantummodo facilitatem cõſectati ſumus. Sed hùc aggregetur quoque modus per ſinus verſos è Regiomontano expreſſus,

III. IDEM ALITER.

Per ſinus verſos.

Vt ſinus totus, ad rectangulum quod fit ſub crurum ſinibus, ad ſinum totum applicatum; ita ſinus verſus anguli ab ijs comprehenſi, ad differentiam inter ſinum verſum baſis, & ſinum verſum differentiæ crurum. Ea igitur ad ſinum verſum differentiæ crurum addita, dabit ſinum verſum baſis.

SECVNDVS verò in hac proportione terminus, ſola pura proſtaphæreſi inveniri poteſt.

Hujus veritas demonſtrata eſt ſupra, propoſitionis primæ modo 3, itaque hic breviores erimus, & poſito exemplo, factionis modum oſtendemus.

Sit enim in tripleuro ſecundo primi modi *aei*, latus *ae* 44 gr. 43 ſcr. *ai* 73 gr. 25 ſcr. & angulus ab ijs comprehenſus *eai* 79 gr. 59 ſcr. 55 ſec. & quæratur latus tertium *ei*.

gr. ſcr.

	ae 44 43	
gr. ſcr. ſec.	*ae* 73 25	*ai* 73 25
eai. 79.59.55.	c. 45 17	*ae* 44 43
ſin. com. 1736720	18 42. 8771462	dif. 28. 42.
10000000	28 8. 4715250	ſin. c. 8771462
ſin. verſ. 8263280	13486712	10000000
	6743356	ſin. v. 1228538

10000000, 6743356, 8263280, 5572224
1228538
ſin. verſ. *ei*. 6800762
10000000
ſin. com. lat. *ei*. 3199238

huic cedunt 18 gr. 39 ſcr. 30 ſec. & ipſum latus *ei* igitur 71 gr. 20 ſcr. 30 ſec. ut ante.

Sit exemplum alterum, & ſit *ae* 73 gr. 25 ſcr. *ai* 135 gr. 17 ſcr. & angulus ab ijs comprehenſus *eai* 100 gr. 0 ſcr. 5 ſec. & quæratur latus eidem oppoſitum *ei*,

eai. 100 gr. 0 ſcr. 5 ſec.	*ai* 135. 17 id eſt	
ſin. com. 1736720.	44 43	*ai* 135. 17
10000000.	*ae* 73. 25	*ae* 73. 25
ſin. verſ. 11736720	cō. 45 17	diff. 61 52
	118. 42. 8771462	ſi. c. 4715250
	28 8. 4715250	10000000
	13486712	ſi. v. 5284750
	6743356	

10000000, 6743356, 11736720, 7914488,
5284750
ſin. verſ. *ei* 13199238
ſin. com. l. *ei* 3199238

huic cedunt ut ante 18 gr. 39 ſcr. 30 ſec. & cum ſinus verſus major ſit radio, latus *ei* erit quadrante

majus

majus, nempe 108 gr. 39 ſcr. 30 ſec. ita enim ſupra aſſumpſeramus.

Maurolyci modus, quem ex ſphæræ inſpectione depromſit, etſi operoſior, tamen ſemper eſt in promptu, & per planorum triangulorum doctrinam abſolvi poteſt.

IV. Propositio.

Datis duobus tripleuri angulis, & latere quod utrique eorum adiacet, angulum reliquum invenire.


Duo *rectangula ſigillatim applicentur ad ſinum totum.*

Unum, quod ſit ſub ſinibus datorum angulorum.

Alterum quod ſit ſub ſinibus complementorum eorundem.

Et erit, Ut ſinus totus, ad ſinum complementi lateris adjacentis; Ita primus quotus ad terminum quartum.

Huius quarti & quoti ſecundi ſumma, vel differentia, erit ſinus complementi anguli quæſiti.



Hujus ſolutio ex antecedente tertia propoſitione, non ſecus, atque ſecundæ è prima propoſitione, per eandem laterum & angulorum enallagen legittimā ſecundum præcepta 8 prop. lib. 3 derivatur. Ut ſi in primo tripleuro dentur anguli *a* 85 gr. *i* 105 grad. & latus commune *ai* 113 grad. 33 ſcr. per hanc enallagen intelliges in ſecundo AEI, dari pro *a* latus EI 95 grad. pro angulo

angulo primi *i* latus AE 75, & pro latere illo *ai*, hic angulum E, qui termini, illorum ſunt ad ſemicirculum reſidua. Atqui ſecundum iſtas leges hæc præcepti formula à nobis eſt expreſſa; vide demonſtrationis analogiam quam propoſitione ſecunda ſecuti ſumus, neque quidquam præterea verborum hic deſiderabis.

Atque hic uterque quotus ſola & pura proſtaphæreſi inveniri poteſt.

Sed caſuum determinationes hic ſunt inverſæ, quas ideo hic ſigillatim explicamus.

CASVVM DETERMINATIO.

Πτώσεων διορισμός.

Sumetur autem ſumma.

CUM anguli dati erunt *affectionis eiuſdem*, & latus ijs adjacens *maius quadrante*; hoc caſu angulus tertius dato lateri oppoſitus erit obtuſus.

Vel, cum anguli erunt *affectionis diverſæ*, & latus adjacens *minus quadrante*; & hoc caſu angulus tertius dato lateri oppoſitus erit acutus.

At contra ſumetur differentia.

Cum anguli erunt *affectionis eiuſdem*, & latus adjacens *minus quadrante*, & ſi hoc caſu quotus primus ſecundo cedat angulus tertius dato lateri oppoſitus eſt obtuſus; ſi præſtet, acutus.

Vel, cum anguli erunt *affectionis diverſæ*, & latus adjacens *maius quadrante*, & ſi hoc caſu quotus primus ſecundo cedat, angulus tertius dato lateri oppoſitus eſt acutus; ſi præſtet, obtuſus.

Quod

Fiat itaque, ut

ſin.co.*ai* quot. 1.

10000000, 871557, 8815594, 768329, & quia hoc exemplum pertinet ad caſum quartum, hujus quarti proportionalis, & quoti ſeu inventi ſecundi differentia, nempe 253885 erit ſinus compl. anguli quæſiti ad *e*, qui jam eſt acutus; cedunt autem huic ſinui 1 gr. 27 ſcr. 17 ſec. quare angulus *e* dato lateri oppoſitus erit 88 gr. 32 ſcr. 43 ſec.

II. IDEM ALITER.

Duo rectangula applicentur ad ſinum totum.

VNum quod ſit ſub ſinu anguli primi dati, & ſinu complementi lateris dati.

Alterum quod ſit ſub ſinu complementi anguli primi dati, & tangente complementi anguli ſecundi.

Et erit, Ut ſinus totus, ad ſinum anguli ſecundi, ita quoti primi & ſecundi ſumma vel differentia, ad ſinum complementi anguli tertij, qui dato lateri opponitur.

Hujus quoque demonſtratio ex antecedentis propoſitionis modo ſecundo, per laterum & angulorum enallagen manifeſta eſt; Caſuum autem determinationes inverſo modo ijs reſpondent, quas eam ob cauſam hic quoque ſeorſim proponere eſt neceſſe.

Atque hic primus duntaxat quotus ſemper ſola pura proſtaphæreſi invenitur.

CASVVM DETERMINATIO.

Πτώσεων διορισμὸς.

Sumetur autem ſumma.

CUM anguli dati erunt *affectionis eiuſdem*, & latus iis adjacens majus quadrante; & hoc caſu angulus tertius dato lateri oppoſitus erit obtuſus.

Vel, cum anguli erunt *affectionis diverſæ*, & latus adjacens minus quadrante; & hoc caſu angulus quæſitus dato lateri oppoſitus erit acutus.

At contra ſumetur differentia.

Cum anguli dati erunt *affectionis eiuſdem*, & latus ijs adjacens minus quadrante, & ſi hoc caſu quotus primus ſecundo cedat, angulus tertius dato lateri oppoſitus eſt obtuſus; ſi præſtet, acutus.

Vel, cum anguli dati erunt *affectionis diverſæ*, & latus adjacens majus quadrante, & ſi hoc caſu quotus primus ſecundo cedat, angulus tertius dato lateri oppoſitus eſt acutus; ſi præſtet obtuſus.

Quod ſi nulla intercedat differentia, argumento erit angulum tertium dato lateri oppoſitum eſſe rectum.

Sit enim in præmiſſo diagrammate angulus *a* 65 grad. 26 ſcr. *e*. 88 grad. 32 ſcr. 43 ſec. & latus utrique adjacens *ae* 105 grad. quæratur autem angulus tertius *i*, ſitque *a* hic nobis angulus primus *e* ſecundus.

1. *a*. 65

1. *a*. 65 26	1 ſin.compl. *a* 4157517.
comp.*ae*.15	2.tan.compl.*e* 253951
24 34.	2. 105580.5599667
39 34. 6369756	
9 34. 1661951	
4707805	
1. 2353902.	
2. 105580.	
ſumma. 2459482	

Et quia hoc exemplum pertinet ad caſum primum ſumatur inventi primi & ſecundi ſumma 2459482. & angulus quæſitus erit obtuſus.

	ſin. *e*	proſtaph.	
10000000	9996777,	2459482,	2458689.

hic eſt ſinus complem. anguli quæſiti *i*, cui cedunt 14 gr. 14 ſcr. & ideo ipſe angulus erit 104 gr. 14 ſcr. ut ſupra à nobis eſt conſtitutus.

Eſto exemplum ſecundum in eodem triangulo. Sitque jam primus *a* 65 gr. 26 ſcr. ſecundus *i* 104 gr. 14 ſcr. & *ai* latus adjacens 95 gr. o ſcr. & quæratur angulus *e*

1. *a*. 65 26	1. ſin.com.*a*.4157517.
compl. *ai*. 5	2. tan.com.*i*. 2536580
24 34	2. 1054587.4471880
29 34. 4934359	
19 34. 3349034.	
1585325.	
1. 792662.	
2. 1054587	
differentia. 261925	

Et quia hoc exemplum pertinet ad caſum quartum,

O ſumatur

ſumatur differentia inventi primi & ſecundi 261-925, & angulus quæſitus erit acutus.

ſin. ang.*i* proſtaph.

10000000, 9693025, 261925, 253884, hic eſt ſinus compl. anguli quæſiti ad *e*; debentur autem huic ſinui 14 gr. 14 ſcr. quare ipſe angulus *e* fuerit 104 gr. 14 ſcr. major recto, ut ſupra fuerat propoſitus.

III. IDEM ALITER,

Per ſinus verſos.

VT ſinus totus, ad rectangulum quod ſit ſub angulorum ſinibus ad ſinum totum applicatum; ita ſinus verſus communis lateris dati ad ſemicirculum reſidui, ad differentiam inter ſinum verſum anguli tertij ad ſemicirculum reſidui, & ſinum verſum differentiæ datorum.

Is igitur ad ſinum verſum differentiæ datorum angulorum additus, dabit ſinum verſum reſidui tertij, hoc igitur reſiduum; de ſemicirculo ſubductum relinquet tertium qui quærebatur.

Hoc totum ſecundum enallagen laterum & angulorum, è tertio modo antecedentis propoſitionis eſt derivatum, ut ambo præmiſſi è ſuis reſpondentibus. itaque ſi modo adhibita enallage rem inſpexeris, omnia erunt plana, ut verbis ad hanc rem pluribus opus non ſit.

Hic ut ante terminus ſecundus, nempe rectangulum ſub angulorum ſinibus comprehenſum, ſola & pura proſtaphæreſi invenitur.

Exemplum tale eſto. Sit *a* 65 gr. 26 ſcr. *e* 88 gr. 32 ſcr. 43 ſec. & latus utrique adjacens *ae* 105 gr. atque

atque quæratur tertius ang. *i* dato lateri oppoſitus.

a 65 26
e 88 32 43.

23. 6. 43. diff.	*a*. 65 26
66 53 17 compl.	*e*. 88 32 43
9197397 ejus ſin.	24 34
10000000	113 6 43 9197397
802603 ſin.c. diff.an.	63 58 43 8986303
	18183700
	9091850

ae 105
reſid. 75
compl. 15.ſin. 2588190
10000000
ſin.verſ. reſid. 7411810

Hinc jam proportio,

ut ſin. tot. ad rect.*a* ſin.cr. ita ſin.verſ. ad
10000000, 9091850, 7411810, 6738708,

Hic igitur quartus additus ad ſinum verſum differentiæ angulorum *a* & *e*, nempe 802603, conflabit ſinum verſum 7541311, qui ideo de radio deductus, dabit ſinum complementi 2458689 cui cedunt 14 gr. 14 ſcr. ipſa ergo peripheria cui ille ſinus verſus debetur eſt 75 grad. 46 ſcr. cujus reſiduum ad ſemicirculum 104 gr. 14 ſcr. eſt quantitas anguli tertij ad *i*.

V. PROPOSITIO.

Datis tripleuri lateribus duobus & angulo ab ipſis comprehenſo reliquos angulos invenire.

ENIMVERO *ſi tria rectangula applicentur ad ſinum totum,*


Vnum quod ſit ſub ſinu lateris quæſito angulo oppoſiti in ſinum anguli dati,

Alterum quod ſit ſub ſinu lateris eiuſdem & ſinu complementi anguli dati,

Tertium quod ſit ſub ſinu complementi lateris eiuſdem, & tangente lateris adiacentis.

Et erit ut primus quotus, ad ſinum complementi lateris adjacentis, ita ſumma vel differentia ſecundi & tertij, ad tangentem complementi anguli quæſiti.

Hic autem primus & ſecundus quotus, pura proſthaphæreſi inveniri poſſunt.



Sit itaque propoſitum tripleurum *aei*, & ſunto latera *ae*, *ai*, data, cum angulo *a* ab ipſis comprehenſo, & quæratur angulus *e* oppoſitus lateri *ai*. atque in hoc quidem diagrammate commoditatis cauſa ſtatuatur angulus ille ad *e* ex hypotheſi obtuſus: hinc ex *a* tanquam polo intervallo quadrantis deſcribatur peripheria *ud*, menſura anguli *a*, & ex *e* item *yt*, menſura anguli acuti ad *e*; ſitque centrum ſphæræ *c*, unde radij ad puncta *a e d t u y* connectantur, & ſinus lateris *ai* ſit *im*, lateris *ae* ſit *ao*, anguli *a* ſit *up*, & anguli *e* ſit ſinus *yr*, qui obtuſo & acuto illi deinceps pariter communis eſt. Deinde lateri *ai* ſit æqualis peripheria *af*, & ab *f* ſit *fm* perpendicularis in *ca*, inque eam demittatur perpendicularis *in*, quæ ideo ſubjecto plano quoque erit perpendicularis, ac reliquis *yr up* parallela; eritque eam ob cauſam triangulum *cup* triangulo *min* ſimile; & ab *n* in radium

dium *ce* perpendicularis demittatur *nl*, parallela ipſi *rc*, & connectatur *il*: quare triangulum *inl*, triangulo *yrc*, quoque erit ſimile: ſed & triangula rectangula *coa cmq* ob communem angulum ad *c* ſimilia ſunt, itemque *cmq nlq* ob angulos verticales ad *q*. Hinc itaque proportio;

Et primo quidem, ut *cu* ad *up*, ita *mi* ad *in*; quæ fuit proportio ſupra in præcepto primo loco propoſita.

Deinde ut *cu* ad *cp*, ita *im* ad *mn*, quæ proportio fuit ſecunda.

Tertiò ut *co* ad *oa*, hoc eſt, ut ſinus totus, ad tangentem anguli *oca*, ſeu peripheriæ *ae*, ita *cm* ſinus complementi lateris *ai* vel *af* ad *mq*; quæ fuit proportio ſive applicatio ſuprà in præcepto tertia.

Porrò autem, hoc loco, differentia inter *mn* & *mq* eſt *nq*: aliquando autem eſt *nq* ſumma illarum.

Hinc rurſum nova proportio, quemadmodum *ca* ad *co*, ita *qn* ad *nl*, & quemadmodum *in* ad *nl*, ita ſinus totus, ad tangentem anguli *nil*, ſive *cyr*, hoc eſt tangentem complementi anguli quæſiti *e*, quamobrem per rationum compoſitionem hoc modo

ca *co* *qn* *nl*

in *nl*, ſin.tot. tan. com. *e*, erit ut rectangulum ſub *ca* ſeu ſinu toto in *in*, ad rectangulum *co* in *nl*, ita *qn* in ſinum totum, ad *nl* in tangentem complementi auguli *e*: alternis igitur rectangulis per communem altitudinem depreſſis, primo & tertio per ſinum totum, ſecundo autem & quarto per *nl*: erit ut *in* ad *co*, ita *qn* ad tangentem complem. anguli *e*: complementum enim angulo acuto, & obtuſo eidem deinceps commune eſt. Hoc eſt ut ſupra in præcepto expreſſimus; quemadmodum primus quotus *in*, ad *co* ſinum complementi lateris quæſito angulo adjacentis: ita *qn* ſecundi &

tertij quoti differentia, vel etiam ſumma, ad tangentem complementi quæſiti anguli ad *e*.

Sed horum caſuum varietatem & determinationes ita explicamus, ſecundum exemplorum inductionem.

CASVVM DETERMINATIO.

Πτώσεων διορισμός.

Sumetur autem ſumma.

CUM latus illud quæſito angulo *oppoſitum erit minus quadrante*, latus autem *adiacens, & angulus datus* fuerint *affectionis inter ſe diverſæ*; & hoc caſu angulus qui quæritur erit *acutus*.

Vel, cum latus illud quæſito *oppoſitum erit maius quadrante*, latus autem *adiacens & angulus datus fuerint affectionis eiuſdem*; & hoc caſu angulus qui quæritur erit *obtuſus*.

At contra ſumetur differentia.

Cum latus illud primum quæſito oppoſitũ, fuerit *minus quadrante*, latus verò *adiacens*, *& angulus datus* fuerint *affectionis eiuſdem*; & ſi hoc caſu *ſecundus quotus cedat tertio*, angulus qui quæritur erit *acutus*, ſin *præſtet*, *obtuſus*.

Vel, cum latus primum quæſito oppoſitum, erit *maius quadrante*, latus autem *adiacens & angulus datus* fuerint *affectionis inter ſe diverſæ*; & ſi hoc caſu *ſecundus quotus tertio cedat*, angulus qui quæritur erit *obtuſus*; ſin *præſtet acutus*.

Quod ſi nulla ſit differentia argumentum erit angulum qui quæritur eſſe rectum.

Exemplum

Exemplum tale eſto. Propoſiti tripleuri *aei* ejuſdem quod ſupra latus *ae* ſit 71 gr,20 ſcr.30 ſec. *ai* 73 gr.25 ſcr. denique angulus *a* ab ipſis comprehenſus 47 gr.0 ſcr. & quæratur angulus *e*.

Primus & ſecundus quotus, hic pura proſtaphæreſi inveniuntur.

ai 73 25	*ai* 73 25
a 47 0	compl. *a* 43
com. 16 35	16 35
63 35. 8955824	59 35 8623664
30 25. 5062846	26 25 4448957
14018670	13072621
1. 7009335	2. 6536310
tang. *ae* 71 20 30. 29614632	3. 8452300
ſin. com. *ai*. 73 25. 2854096	2. 6536310
3. 8452300	diff. 1915990

Et quia hoc exemplum pertinet ad caſum ordine tertium, ſumenda erit ſecundi & tertij quoti differentia 1915990, & quia ſecundus tertio cedit, erit angulus quæſitus ad *e acutus*.

Inſtituatur itaque proportio.

1 quotus ſin.com. *ae*

7009335. 3199240. ita 1915990 ad 874506 tangentem compl. anguli *e*. 4 gr. 59 ſcr. 52 ſec. cujus complementum 85 gr. 0 ſcr. 8 ſec. pro ipſo acuto ad *e*.

II. IDEM ALITER,

Abſque opere diviſionis.

1 ENIMVERO, *Solidum quod fit ſub ſecante compl. anguli dati, & ſecante compl. lateris quæſito oppoſiti, & ſinu complementi lateris eidem adiacentis, applicetur ad ſinus totius quadratum.*

 2 *Deinde*

2 Deinde duo rectangula ad ipſum ſinum totum, Nempe, Vnum quod ſit ſub ſinu lateris quæſito oppoſiti, in ſinum complementi anguli dati.

3 Alterum quod ſit ſub ſinu complementi lateris eiuſdem oppoſiti, & tangente lateris adjacentis.

Et erit, Vt ſinus totus, ad quotum primum, Ita ſecundi tertiique ſumma vel differentia, ad tangentem complementi anguli quæſiti.


Determinationis & caſuum varietas ex modo antecedente repetantur; unde hic modus quoque derivatur; nam & proportio ſive applicatio ſecundo & tertio loco ibidem propoſita etiam hic retinetur, reliqua è prima & ultima proportione derivantur hoc modo.

Nam ut *cu* in eodem diagrammate ad *up*, ita ſecans complementi peripheriæ *ud* ſive anguli *a*, ad ſinum totum per propoſ. 18 lib. 1. porrò in priore modo, ultimo loco oſtenſum eſt, *in co qn* & tangentem compl. anguli *e* eſſe proportionales: quare ad rationum compoſitionem diſponentur hoc modo.

ſin. tot.	*up.*	ſeca. compl. *a*	ſinus tot.
in	*co*	*qn*	tang. com. *e*.

Erit igitur, ut rectangulum è ſinu toto, in *in*, ad *co* in *up*, hoc eſt quia ipſis *in* & *up* proportionales ſunt *im*, *uc*; & his ipſis per 18 prop. lib. 1. ſinus totus & ſecans compl. *ai*: erit quoque ut quadratum è ſinu toto; ad rectangulum *co* in ſecantem complementi *ai*; ita rectangulum ſub ſecante complementi anguli *a*, & ipſa *qn*, ad rectangulum ſub ſinu toto, & tangente complementi anguli quæſiti *e*. Quamobrem erit per interpretationem, ut cubus è ſinu toto, ad ſolidum ſub ſecante complem. anguli *a*, & ſecante complementi *ai*, & ſinu complementi *ae*, ita *qn*, ad tangen-

tangentem complementi anguli quæſiti ad *e*: ſi itaque primus & ſecundus terminus, ad quadratum ſinus totius applicentur, conſtabunt ſibi termini ſupra à nobis propoſiti.



Sed hic una tantum proſtaphæreſis pura datur.

Exemplum idem eſto quod prius ſitque *ai* 73 gr. 25 ſcr. *ae* 71 gr. 20 ſcr. 30 ſec. & angulus *a* 47 gr. 0 ſcr. & quæratur angulus *e*.

ſec. com. *a* 13673275
ſec. com. *ai* 10433995

14266688
ſin. com. *ae* 3199240

4564255 hinc jam proportio, ſumma vel diff.

10000000 ad 4564255 ita 1915978 ad 874502 tangentem compl. anguli quæſiti ad *e* 5 gr. 0 ſcr. 7 ſec. Cum autem hoc exemplum pertineat ad caſum tertium, anguluſque ad *e* ideo ſit acutus; dabitur nobis angulus ipſe 84 gr. 59 ſcr. 53 ſec. fere ut prius.

III. IDEM ALITER,

Et facilius.

ENIMVERO *duo rectangula applicentur ad ſinum totum, Unum quod ſit ſub ſecante complementi anguli dati & ſinu lateris angulo quæſito oppoſiti.*

Alterum quod ſit ſub ſinu complementi anguli dati & tangente complementi lateris quæſito adiacentis.

Et erit, Ut ſinus totus, ad quotum primum, ita quotus ſecundus plus vel minus tangente complementi

lateris quæſito oppoſiti, ad tangentem complementi anguli quæſiti.

Caſuum determinatio eſt ferè eadem quæ prius: ſed tamen hic nobis repetendam cenſui.

CASVVM DETERMINATIO.

Πτώσεων διορισμός.

Sumetur autem ſumma.

CVm latus quæſito oppoſitum erit *minus quadrante*, latus autem *adiacens & angulus datus* fuerint affectionis inter ſe diverſæ; & hoc caſu angulus qui quæritur erit *acutus*.

Vel, cum latus angulo quæſito oppoſitum erit *maius quadrante* latus autem *adiacens & angulus datus* fuerint *affectionis eiuſdem*, & hoc caſu angulus qui quæritur erit *obtuſus*.

At contra ſumetur differentia.

Cum latus illud angulo quæſito oppoſitum fuerit *minus quadrante*, latus verò *adiacens & angulus* datus fuerint *affectionis eiuſdem*; & ſi hoc caſu quotus ſecundus tangenti complem. lateris oppoſiti *cedat* angulus quæſitus erit *acutus*, ſin præſtet *obtuſus*.

Vel cum latus angulo quæſito oppoſitum fuerit *maius quadrante*, latus autem *adiacens & angulus* datus fuerint *affectionis inter ſe diverſæ*; & ſi hoc caſu quotus ſecundus tangenti complementi lateris oppoſiti *cedat* angulus quæſitus erit obtuſus, ſin præſtet acutus.

Eſto

Eſto idem exemplum quod ſuprà, & ſit *ae* 71 gr. 20 ſcr. 30 ſec. *ai* 73 gr. 25 ſcr. & ang. *a* 47 gr.

ſec. comp. *a*. 13673275
ſin. *ai* 9584056
Quot. prim. 13104543

ſin. com. *a*. 6819984
tan. com. *ai*. 3376710
Quot. ſec. 2302910

tang. comp. *ai* 2977962
Quot. ſec. 2302910
Differ. 675052

Ergo, ut 10000000 ad 13104543 ita 675052, ad tang. complementi ang. *e*. 884624 qui eſt paulo major quam ſuprà inventus, & cum hoc exemplum pertineat ad caſum tertium, & quotus ſec. tangenti compl. *ai* cedat, angulus ad *e* neceſſariò erit acutus.

VI. PROPOSITIO.

Dato tripleuri latere & angulis duobus adiacentibus reliqua latera invenire.

ID plane per laterum & angulorum enallagen toties nobis jam uſurpatam manifeſtum eſt, modo animum advertas. Hujus itaque leges ſecuti ex primo antecedentis propoſitionis modo hanc formulam derivamus

Enimvero ſi tria rectangula applicentur ad ſinum totum

1 *Unum quod ſit ſub ſinu anguli, quæſito lateri oppoſiti, in ſinum lateris dati.*

2 *Alterum*

2 *Alterum quod ſit ſub ſinu eiuſdem anguli, & ſinu complementi lateris dati.*

3 *Tertium quod ſit ſub ſinu compl. eiuſdem anguli, & tangente anguli reliqui.*

Et erit, Ut primus quotus ad ſinum complementi anguli quæſito lateri adjacentis, ita differentia vel ſumma ſecundi & tertij, ad tangentem complem. lateris quæſiti.

Per enallagen quidem pleurogonicen, formari debet triangulum cujus duo latera, reſpondeant reſiduis angulorum datorum, & ang. ab ijs comprehenſus reſiduo lateris dati, & tunc eaſdem leges ſequeris quas prop. antecedente exhibuimus; verum enimvero cum ſinus æque pertineant ad angulos ipſos, quam ad eorundem reſidua, utere formulâ ſuprà poſitâ.

Caſuum autem determinatio in tali triangulo prorſus eadem eſt quæ ſuprà modo animum advertas, & debitam later. & angulorum tranſmutationem inſtituas.

Exemplum ergo eſto tale,

Detur in triang. *aie*, angulus ad *a* 47 gr. ad *e* 85 gr. cum latere *ea* 71 gr. 20 ſcr. 30 ſec. & quæratur latus *ai*.
hinc formabitur aliud triang. *aei*, cujus latera *ai* & *ei* reſpondeant horum angul. reſiduis, ſitque illud 95 grad. hoc 133 gr. & angulus ab ijs comprehenſus 108 grad. 39 ſcr. 30 ſec. & in hoc triang. adhibenda eſt prop. præcedens, ſed nos hanc formulam nunc ſequemur, primus ergo & ſecundus quotus invenietur per proſtaphæreſin puram, ſic:

gr. ſcr.

gr. ſcr. ſec.

	71	20	30		
	85				
compl.	18	39	30		
	103	39	30	ſin. 9717309	
	66	20	30	ſin. 9159545	
				ſumma 18876854	

quotus 1. dimid. 9438427.

gr. ſcr. ſec.

	18	39	30	
compl.	85			
	71	20	30	
	156	20	30	ſin. 4012818
	13	39	30	ſin. 2361315

6374133 ſumma

3187066 dimid. quot. 2.

ſin. comp. ang. *e*. 871557

tang. ang. *a*. 10723687

quotus 3. 939630 factum

quotorum ſumma 3187066
939630
4126696

Fiat ergo,

ut 9438427 ad ſin. compl. *a* ita 4126692
6819984

ad tangentem compl. lateris *ai* 2971257, cui competunt 16 gr. 32 ſcr. 52 ſec. ergo ipſum latus eſſet 73 gr. 27 ſcr. 8 ſec. paulo majus quam ſupra invenimus, ob calculi lubricitatem; Poſſent quoque tali triangulo, ubi duo dantur latera & ang. ab iis compreheuſus, reliqui antecedentis propoſitionis modi applicari, ſed nobis ſolummodo indicaviſſe nunc ſufficiet, tu ſi libet etiam illos adhibeto.

VII. PRO-

VII. PROPOSITIO.

Datis duobus tripleuri lateribus, & angulo uni eorum oppoſito, angulum reliquo oppoſitum quoque invenire.

ENIMVERO cum per propoſitionem 13 libr. 3. ſinus laterum oppoſitorum angulorum ſinibus proportionales ſint.

Fiat ut ſinus lateris, ad ſinum anguli ſibi oppoſiti; ita ſinus lateris alterius, ad ſinum anguli quæſiti ſecundo oppoſiti.

